



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino  
Lugduni, M. DC. LXXX.**

Tractatus VIII. De Servis, & Mancipiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

citum spectantes, si de exercitu sese ad tempus negotiorum causa ad Vrbes, aut alia loca extra Exercitum recipiant, inane in omnibus subiecti Delegato Apostolico. Quae tamen omnia supradicta sic intelligenda sunt, vt Parochis liberum sit administrare Sacramenta, & sepulturas omnibus diuerentibus ad suas Parochias, & in eis morientibus saluis iuribus, iudicialia vero exercentur per Superiores respectiue eorum, de quibus praescriptum est in praecedentibus articulis.

11. An autem ob praesentes inducias bellum amplius durare non censeatur, & recursus ad Ordinariorum locorum non esse difficile vtpote cum non in acie, sed in continuis praesidiis milites versentur ac ea propter locus sit cap. 20. sess. 14. Concilium Tridentinum nolim disputare, nec modo opus. Cum Urbanus VIII. renouarit; finitum non fuisse bellum, sed suspensum satis diximus in Indice lib. 4. cap. 21. difficultas recursus minuta erat desinente ambulare Exercitu, & ferè locus tantum erat iis, quae contenta de praesidiis, in quae iam omnis miles erat remissus, & ferè permanent. Minuta inquam non omnino sublata, si que de causis nec delegatio desierat, & reuulcente pudem bello antiquum obtinet. Huc usque Zypreus loco citato, & vide etiam ipsum in alio loco consultationum ubi supra, lib. 1. tit. de Officio ordin. consult. 1. per totam.


Sed ego seclusa Pontificia delegatione in hac difficultate de meo nihil asserere volo per ea, quae notat Layman, lib. 5. tractat. 6. cap. 10. numer. 5. & alij.

12. Obitur Doctores subscripti in allegatione Hispana superius adducta secundum eorum principium asserent Vicarium Generalem Exercitus esse

Iudicem, quando miles deberet gaudere immunitate si confugeret ad Tentorium in quo celebratur, vel ad Ecclesiam Castri, & ita in praxi obseruasse testatus est mihi his diebus Episcopus Gaete, dum erat Vicarius Generalis Exercitus.

13. Et tandem non desinam hic apponere casum curiosum, quem inuenies apud Quintanaduenam in Theol. Mor. tom. 1. tract. 4. Singul. ult. num. 7. vbi sic habetur, Cum in Castris miles quidam scelus morte dignum perpetrasset, configit ad Ecclesiam, seu Altare portatile pro Missa celebranda in Castro positum. Militum generalis Gubernator volens eum ab ista Ecclesia seu Altari extrahere, vt debitum mortis supplicium inferret territus est excommunicationis poena lata à quodam viro docto Societatis nostrae Episcopi vices in Exercitu quoad spiritualia, gerenti, si reum ab Ecclesia, seu Altari illo extraheret. At Generalis Dux ne in excommunicationem incideret, & mortis poena reum plectere posset, Castra in alium locum diuertit iussit, vt diuulso Altari reum caperet, ac puniret. Sed Societatis Iesu doctissimus vir Ducis Generalis animum penetrans, tradit reo aram, vt quae est Ecclesiae praecipuum insigne, & immunitatis, qua Ecclesia gaudet ratio praecipua, admonens ne eam à se remoueri permitteret, donec in alio loco Altare poneretur. Sic factum est, & Dux Generalis non est ausus capere Reum, vtpote Ecclesiae immunitate gaudentem eo quod secum Aram deferret. Hac de re ipsemet ex nostra Societate, qui hunc nouum immunitatis modum inuenit: consuluit doctissimum Suarium, qui ei respondit rectè egisse, probabilique esse valde, Reum illum, eo quod Aram secum adportaret immunitate gaudere, & puniri non posse. Ita ille & ego.

In indice primo huius Tom. 7. vide Apendicem ad hunc Tract. 7. ubi reperies alias multas quaestiones, & dispersas per alios Tom. Tract. & Res. quae simul pertinent ad hunc Tract. 7. de Bello.



# TRACTATUS OCTAVVS DE SERVIS, SEV MANCIPIIIS.

## RESOLVTIO PRIMA.

Quo iure seruitus sit introducta? Ex parte 7. tractatu 7. Resol. 1.

RESPONDEO quòd seruitus naturae contraria, iure gentium induta est, iure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur, vt loquitur Iustinianus hic in §. 2. ad finem, & Vlpianus in l. manumiss. 4. ff. de iust. & iur. Sed dubitari posset, qui fieret, quòd Imperator hic, post Iurisconsultum, asserat, seruitutem iuri naturali contrariam esse, iureque naturali omnes homines liberos nasci: cum non contemendae auctoritatis Philosophi, seruitutem iure naturali constitutam esse grauisimis rationibus doceant; Nam diuini ingenij Viri Pla-

to Dialog. 3. de legib. scribit: primam dignitatis rectam rationem esse, vt genitores natis impendant: secundam vt ignobilibus generosi: tertiam, vt iunioribus seniores: quartam, vt domini seruis: quintam, vt potentioribus imbecilliores seruiant: sextam, & quidem omnium maximam esse, qua secundum naturam ignorantes sequi iubentur, prudentes autem ducere, ac dominari. Idem refert Ioannes Stobaeus sermone 42. ante finem pagin. mihi 295. Similiter Aristoteles lib. 1. Polit. capite 3. & 4. asseruat: seruitutem à natura oriri: seruisque instrumenta esse quaedam animata: & animum corpori imperare, hoc autem seruire: & in sexibus sceminam masculo subesse: minusque sapientes natura ipsa seruos esse, & sapientioribus subditos, vt ab iis regantur. Idem libro Politicorum 7. capite 14. affirmat esse natura ipsa seruitutem iuuenis ad senem. Sed & Marcus Cicero in 5. Paradox. inquit: omnes prudentes esse liberos; insipientes

N n 4 verò

verò & improbos natura esse seruos. Hanc ipsam Stoicorum opinionem recentet etiam Liptius lib. 3. manduēt. ad Stoicorum Philosophiam differat. 12.

2. Verum ad hæc & similia respondetur: aliam longè esse seruitutem, de qua iuris auctores agunt: aliam, de qua Philosophi locis iam citatis disputant. Hæc enim, de qua Iuris consulti loquuntur, eum, qui seruus est, ad eius dominio ac potestati ita subiicit: ut tanquam res quælibet, à domino vendi, & alienari possit. Atque hæc seruitus naturæ aduersatur, iureque gentium instituta est, d. l. manumissiones 4. ff. de iust. & iure l. libertas. 4. §. 1. & l. seq. ff. de stat. homin. §. Seruitus. 2. infra tit. prox. At seruitus illa, quam Philosophi natura ipsa constituit autem, ad dominium, coactionem vel necessitatem non pertinet: sed ad honorem, obsequium, & reuerentiam, senioribus à junioribus, generosis ab ignobilibus, parentibus à filiis, marito ab uxore debitam: vel ad vtilitatem ipsius seruientis, qualis est illa, quæ imprudentis ad prudentem, minus sapientis ad sapientem dicitur. Quæ de re laicius, post Ioannem Diedo de libertat. Christ. lib. 1. pag. 8. Courruuis in d. cap. peccati de reg. iur. in 6. secund. p. rekt. §. 1. num. 7. D. Christophorus Belodus, in Commentar. ad l. 1. tit. 1. lib. 1. ff. num. 1. pag. 78. & sequ. Ioannes Mercier. lib. 1. opinio. c. 9. & Vacouius à Vacuna lib. 1. declarat. 10. quibus ad de Belodum in Synopsi Politica doctrina lib. 1. part. 1. c. 1. 4. n. 2. Et tanè perabsurdum, ridiculūque fuerit putare, eo, qui comiter Principes, Reges, Dacelive, aut parentes, & superiores obseruant ipsi seruire, l. non dubito. 7. §. 1. ff. de captiu. & postlim. reuers. l. fin. Cod. de patr. potest. Alioquin Aristoteles, eiusque affectus, hunc mundum seruis refertissimum facerent: cum nemo non Regibus aut Principibus pareat; ut Reges, vel Principes Deo & legi l. digna vox 4. C. de legibus. Præterea allucinari videtur Philosophus, dum ait seruum esse instrumentum hominis: cum homo sit pariter is, qui seruit, & conditione à domino differat, non genere. Atqui omne instrumentum sit alterius generis necesse est, quam id cuius est instrumentum: ideoque scapha non est alterius navis capitoris instrumentum, l. vltim. ff. de instrum. vel instrum. leg. a. Ergo seruus, opilio, vel saluatoris erit villa instrumentum, non vi licet l. si ita testamen. 1. §. 1. 2. ff. eod. Dicendum est igitur seruitutem de iure gentium esse introductam.

## RESOL. II.

Quid sit seruitus? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 2.

§. 1. Justinianus in iustit. tit. de iure personarum. §. 2 sic de finit seruitutem. Seruitus est constitutio iuris gentium, quæ quis dominio alieno contra naturam subiicitur; & idem asseritur in leg. libertas, §. 1. ff. de stat. homin. Dicitur autem constitutio iuris gentium, hoc est quiddam iure gentium constitutum, & introductum. Et rectè sanè: quia, ut supra diximus, non potest esse ex iure naturali: cum natura homines omnes liberi nascatur. l. manumission. 4. ff. de iust. & iur. & d. princ. infra. de libertat. neque ex iure civili, cum ius civile seruos non agnoscat, nisi hæctenus, ut eos pro nullis habeat, l. qui testamento. 20. §. seruus. 7. ff. qui testam. fac. poss. l. nullo modo 7. ff. ad leg. Cornel. de fals. l. quod armet. 3. 2. ff. de reg. iur. Nec huic contrarium est, quod Justinianus ex Marciano docet: seruos fieri non tantum iure gentium; sed etiam iure civili: puta si quilibet homo maior ætatis viginti passus sit: tanquam seruum vendari ad pretium participandum. §. Serui

autem 4. infr. hoc tit. l. & seruum. 5. §. 1. Dig. de stat. homin. Et enim his in locis agitur de modis constitutæ seruitutis, in proposito vero definitione tractatur de natura seruitutis & prima origine, quam ex iure gentium esse constat ex §. 1. verf. in autem gentium supra tit. proximo, & d. l. 4. Dig. de iust. & iur. cum similibus. Ac certè natura & vis seruitutis ubique est eadem, & quocumque tandem modo obueniat. Esti igitur motus iste seruitutis constituendam sit ex iure civili: seruitus tamen ipsa non eò minus est ex iure gentium: quoniam nec aliud facit hic ius civile: nisi ut quæ, tanquam si iure gentium seruus esset, venditari palam est dolo malo, ut deciperet emptorem, non impediatur: nec auxilium legis, prohibentis venditionem liberi hominis, implorare queat. l. Licinius. 4. Dig. quod ad liberat. proklam. non licet. Ant. Faber, tom. 1. l. iustitia. dent. Papin. tit. 3. princ. 3.

2. Additur in definitione, quæ quis dominio alieno. Quia vt vera libertatis nota est, sacre quod veritas ita etiam hæc est vera seruitutis nota, subici alieno dominio. Hoc enim verbo dominij, omnia iura, & effectus in seruos continentur. Hincque elucet, seruitutem seruum intelligi sine domino: seruusque & dominum, vt correlatiua se se habere. Non siquidem sibi ipsi seruire quilibet potest: imo nec cuiquam res sua. in re commun. 16. Dig. de seruitutib. prad. vbi dicitur, prædium vltim sibi ipsi. cum essent. 33. §. 1. Dig. de seruit. pradior. rustic. Vnde etiam est, quod membris suorum dominus nemo esse censetur. l. liber homo 1. in princ. Dig. ad leg. Aquil. Inter dominum namque & seruum necesse est reale esse distinctionem. Sed & verba ista, dominio alieno, differentiam inter filium familias & seruum manifestam inducunt. Filiusqueque familias aliena: quidè potestati subicitur: sed non alieno dominio. l. potest. 21. §. Dig. de verb. signif. cum enim eò causam suam hæres dicatur, id est, suus dominus (hæredem etenim pro domino veteres appellabant. §. est. infr. de hered. qualit. & differenc.) quali qui in præcepto sui ipsius dominio sit, non in alieno: tradente Antonio Fabro loco prælegato.

3. Neque prædictis obstat l. 1. in princ. Dig. de vendit. §. l. 3. in princ. Dig. de pecul. vbi dicitur, seruum hæreditarium esse nullius. Nam licet ratione possessionis seruus iste fit nullius in bonis. l. 1. §. Secundo in Dig. si quis testam. liber esse inserit. ratione tamen temporis, quod hæres in rebus hæreditariis, vel alius in aliis bonis habet in eius bonis intelligitur. Vel quantum ad seruum hæreditarius reuera sit nullius: quia neque vilius est, qui iam mortuus est, neque adhuc dominus esse potest, qui nondum hæres est: ratamque iuris interpretacione siue fictione dominio alterius, nimirum hæreditarius quæ vicem dominij obtinet, subesse creditur. l. de iur. 13. §. quæ situm, vers. accedit. Dig. quod vi, aut clam. l. cum hæreditas. 9. C. de positi. §. seruus etiam 2. infra de hæred. instituent.

4. Similiter nihil refragatur. l. si seruum fructum. 23. in princ. Dig. de liberali caus. §. l. quod seruus 36. in fine Dig. de stipulat. ser. cum concordantibus in quibus habetur seruum sine domino esse posse. Quæ doquidem serui verbum accipitur duobus modis. Aut enim significat relationem, & nimirum est sine domino: aut verò denotat ius & qualitatem, & sine domino esse potest: qui tamen non verè seruus dicitur: sed iure seruitutis videtur, libertate caret. Additur etiam à Justiniano in definitione, contra naturam, non quasi aliquo casu fieri possit, ut quis alieno dominio constitutum naturæ subiiciatur: sed quia semper & omnimodo contra naturam (scilicet primariam, cui bella erant impugnata dicit leg. manumissiones 4. ff. de iust. & iur.) est vt homo subiectus sit dominio alienæ naturæ omnium hominum.

homines æquales nati, vivere, & mori voluerit dicitur, leg. quod attinet, 32 ff. de Reg. iur.

RESOL. III.

Vnde veniat origo vocabuli Seruorum, & Mancipiorum? Ex p. 7. tr. 7. Res. 3.

§. 1. Respondeo quod iure gentium introductum est, ut capti in bello efficerentur capientium, §. 2. vers. ius autem gentium supra tit. proximo, §. seruis autem, aut nascuntur, 4. infra hoc tit. §. item ea, que ex hostibus, 17. infra, de ver. diuis. 1. adeo 7. in princ. ff. de acquir. rer. dom. Quia verò multi desuebant in captiuos, eo que iure belli necabant crudeliter; prohibitum id fuit, constitutumque, ut potius venderentur, ac per hoc seruarentur, quam occiderentur, per hunc §. notat: ubi Iustinianus, (post Florentinum Iureconsultum, in l. libertas 4. §. 1. ff. de stat. hom. & Pomponium in l. pupillus, 2. §. 9. §. 1. ff. de verb. signif.) discretè statuit: seruos esse appellatos esse, quod Imperatores (hoc est, vt Theophilus rectè explicat, ἐν τῶν πολεμίων ἰσχύουσιν, belli duces) captiuos vendere, adeoque seruare solent. Vnde & August. lib. 19. de ciuit. Dei, Origò (inquit) vocabuli seruorum, in lingua latina, inde creditur ducta, quòd hi, qui iure belli possent occidi, à victoribus conseruabantur. Quòd pertinet quoque versus Horatij, lib. 1. ad Quintium.

Vendere cum possis captiuum, occidere noli: Seruier uiliter, sine pascat durus, arctique: Nauiget ac mediis hyeme mercator in undis, Annona proficit, porret frumenta penùsque.

Sed & Agefilus Lacedæmoniorum Dux, sapius pro concione milites suos admonuisse perhibetur, ne captiuos, ut facinorosos cruciarent, sed ut homines seruarent. Plutarch in compar. Agid. & Cleomen. Meritò itaque interpretes plerique seruos à seruando, non à seruando denominatos esse censent. Vide Iochimum Myningerium in Instit. lib. 1. tit. de ingenuis, §. serui autem.

2. Serui verò mancipia propterea dicuntur, quia manu à victoribus capiuntur. Et idèd Iustinianus in Instit. de iure personarum §. 3. sic ait: Serui autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare nec occidere solent; qui autè mancipia dicitur, eo quòd ab hostibus manu capiuntur. Et hoc etiam asserit in l. libertas, §. 1. ff. eod. tit. Hinc Varro; Mancipiū, inquit, à manu, quòd manu capitur: hoc est, res omnes, quæ manu capiendò acquiruntur, mancipia dicta sunt, referente Hotomano hic enuntiat. 9. Sanè apud Latinos mancipium dicitur certi domini comparatio: perpetuūque ius possidendi, teste Balduino hic in fine, Vide eleganter Lucret.

Vitæque mancipio nulli datur, omnibus vsu.

RESOL. IV.

Quamnam potestatem habeant Domini in seruis? Et an liceat Domino seruum suum pro arbitrio quasi pecudem occidere? Et adducitur eandem olim fuisse Patrum quoque in filios familias potestatem. Ex p. 7. tr. 7. Res. 4.

§. 1. Certum est esse in potestate Dominorum seruos. Et hæc potestas rectè definitur, ius quod Dominus habet in seruis; Et in omni suo effectu eadem est cum dominio, quod dominus habet in rebus suis; ita ut quod dominium est in rebus cæteris, id sit potestas dominica in seruis. Nam cum de seruis agitur, Tom. VII.

potestatis appellatione dominium significatur, l. potestatis, 21 §. ff. de verb. signif. Vt citius hic num. 1. Per Dominum verò intelligimus non solum eum, qui verè dominus, id est proprietarius est: sed fructuarium etiam, & bonæ fidei possessorem, §. de iis autem seruis, 4. ubi Myninger, infra, per quas personas cuique acquirit, l. acquiritur 10. §. de his autem ff. de acquir. rer. dom. Stuck par. 1. Exercij. Iustin. de cad. 2. asserr. 1. lit. B. Quemadmodum porò ius gentium seruitutem: ita & hæc potestatem dominicam introduxit, §. sed ius quidem 2. vers. ius autem gentium supra, de libertis. l. manumissiones, 4. & l. ex hoc iure §. ff. de inst. & iur.

2. Cæterum effectus huius potestatis præcipuè est duplex: prior est, quod dominus in seruis vitæ necque potestatem habeat, hoc §. & l. 1. ff. hoc tit. Senec. l. 3. de benef. cap. 23. Cum enim iuxta quilibet rei moderator sit & arbitet, l. in re mandata 21. C. mandat. & seruis sit in domini potestate ac dominio: consequens est, ut non minus liceat domino seruum suum pro arbitrio quàm pecudem occidere. Si quidem & hæc de causa serui quadrupè ab eis comparantur, l. 2. ff. ad l. Aquil. Nec mouerit si obiciatur, eandem olim fuisse patrum quoque in filiis familias potestatem, l. si in suis, 11 in fine ff. de lib. & posth. vir. C. de patr. potest. & tamen non fuisse filios familias in dominio patrum, d. l. potestatis, 21 §. de verb. signif. Et enim respondetur: eandem fuisse hæc in parte dominorum & parentum in seruis filiosque familias potestatem, sed non eodem iure, neque ex eadem ratione: quoad dominos enim, nihil fuit, quod tantam eis in seruos potestatem dare potuerit, nisi quod seruos in dominio suo, peninde ac aliam rem quamlibet vilissimam, haberent: ut paulò ante dictum. Quoad patres verò: fuit ius patriæ potestatis, cuius tanta vis, & auctoritas esse debere visa est, ut nec prohiberetur patres vitam adimere iis, quibus dedissent. Vnde illud etiam erat: quòd patres liberis in potestate constitutis non poterant eripere libertatem quippe quam non tam à parentibus quàm à natura haberent, d. l. ult. C. de patr. potest. At emanãtis etiam non minus, quàm in potestate retentis, vitam à patribus datam fuisse verum erat, vitam tamen illis hi adimere non poterant: quia sublato per emancipationem iure patriæ potestatis, emancipati hæc parte ne pro liberis quidem, sed potius pro extraneis habebantur, ut pulchre explicat Antonius Faber, tom. 1. Iurisprud. Papin. tit. 7. princ. 3. illat. 1. pag. 285. Enimvero id hæc potestas dominica hodie ex constitutione Diui Pij Antonini valde diminuta & coarctata est. Licet enim illa olim fuerit summa, hoc est, licet dominus potuerit seruum suum sine causa impunè occidere, verberare, violare, ut supra expositum: attamen hodie sine causa legibus cognita, non potest. Et hæc omnia docet Iustinianus in Instit. lib. 1. tit. de his qui sui, vel alieni iuris sunt: quæ quidem olim procedebant de iure ciuili, nam de iure naturæ contrarium dicendum, cum homicidium sit intrinsecè malum.

RESOL. V.

Quibus modis quis efficiatur seruus, & primo an iure belli? Et an fas sit Christianis, qui bellum iustum cum Christianis gerunt, Christianos bello captos detinere non ut seruos, sed ut ab illis, dum detinentur, sint securi, & tui, & ut pecuniam aliquam iustam, & moderatam pro eorum libertate & dimissione accipiant? Ex p. 7. tr. 7. Res. 5.

§. 1. Respon

Sup. hoc infra lege doctrinã Res. 37. per totã, signanter ante medium, §. 1. à vers. lator. & in alio §. not. 2. dicta Res.

Sup. hoc in Res. not. præterita.

§ 1. **R**espondeo affirmatiuè: igitur efficitur seruus quando in iusto bello capitur, iure namque gentium mancipium fit capientium, morte in perpetuam seruitutem commutata, de qua re non est dubitandum. Excipitur tamen quando Christiani à Christianis iusto bello capiuntur, consuetudo quippe præscripta, atque adeo ius est inter Christianos, vt seruituti non subiciantur. Si tamen Christiani ab infidelibus bello iusto ex parte infidelium caperentur, verè essent illorum mancipia: eo quod gentium ius omnibus sit commune, iustaque esset mortis commutatio, quam infideles iuste Christianis ita captis inferre possent, in perpetuam seruitutem.

2. Huic titulo annectere possumus, quando innocentes, qui partes sunt Reipublicæ aduersus quam iustum bellum geritur, quales sunt infantes, & alij, capiuntur. Licet enim licitè interfici non possint, iure tamen belli ac gentium, fiunt mancipia capientium. Ratio est; quoniam illis, tanquam in propriis membris, puniuntur iuste Respublica, quoad omnia bona fortuna; de quorum numero est libertas: estque hoc communi vlti receptum.

3. Et ideò Gasparus Hurtadus de iust. disp. 1. diff. 21. sic ait: Quamuis ex natura rei nullus sit nec nascatur seruus, seu mancipium alterius, potest tamen quis fieri seruus alterius, variis modis. Primò, iure belli iusti in quo potest quis directè occidi, commutata occisione in perpetuam seruitutem, vt constat ex l. & seruum ff. de stat. hom. Addimus in quo quis potest directè occidi, quia an innocentes possunt capi in seruos, dicimus tr. de charit. disp. 9. diff. 15. ab hoc tamen primo modo redigendi in seruitutem, excipiuntur Christiani qui (quando non deseruerunt totaliter fidem) iure inter Christianos ipsos consuetudine introducta, Romano Pontifice sciente, & non contradicente, nequeunt adhuc in bello iusto ab alijs Christianis in seruitutem redigi: quod etiam statuitur. l. 1. Castelle, vir. 2. 1. parte 4. bene tamen possunt à non baptizatis iuste bellantibus.

4. Vide etiam Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 5. Dicastillum de iust. lib. 2. tract. 1. disput. 1. dub. 11. num. 144. & Lessium lib. 2. cap. 5. dub. 4. num. 12. vbi tamen aduertit, eum, qui in bello ex parte sua iusto capitur, non contrahere veram seruitutem. Quod si iustitia belli vtriusque sit ambigua ob probabile ius partis vtriusque, capti vtriusque sunt ferui; vt rectè Couar. ex lege supra dicta, vbi tamen constare cœperit vtri faueat parti iustitia, tunc ea pars, quæ iniuste cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere. Procedit etiam hoc quoad infantes, qui licet à victoribus occidi non possunt, possunt tamen fieri ferui; quod probat Eminentissimus Cardinalis de Lugo de iust. tom. 1. disputat. 6. sect. 2. num. 12.

5. Notandum est etiam hic obiter, fas esse Christianis, qui bellum iustum cum Christianis gerunt, Christianos bello captos detinere, non vt seruos, sed vt ab illis, dum detinentur, sint tuti, maximè si sint Duces strenuè, quorum libertate ingentia damna, atque non vulgaria timeantur; & diuites, vt pecuniam aliquam iustam, & moderatam pro eorum libertate, & dimissione accipiant, vt videmus passim hoc tempore fieri in bello Belgico, quod nobis est cum Hæreticis Hollandicis, & Zelandicis, Caluinianis, Lutheranis, Zuinglianis, Armenianis, & cætera Hæreticorum turba, & peste, quorum religio, cum diuersa sit, vera, & constans esse non potest. Et ita docet Fagundez de iust. lib. 2. cap. 1. num. 4.

Sup. conten-  
tis in hoc §.  
supra in tr.  
Ref. 30. &  
latè & me-  
lius in Ref.  
cius not.

## RESOL. VI.

An quis efficiatur seruus ob delictum? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 4.

§ 1. **R**espondeo, quod quis potest in seruitutem alterius redigi in pœnam delicti, sine cõdemnatione iudicis, quia sicuti potest quis iuste pœnâ morte, ita etiam seruitute, siue lege aliqua, & sine Christiani deferentes arma, vel alia prohibita ad Sacracenos, possunt ab alijs Christianis eos captiuitatem seruitutem redigi, vt constat ex cap. 1. in quorundam, de Iudæis & Sarracenis.

2. Confirmantur etiam supradicta ex cap. 1. qui 32. dist. vbi Urbanus I. concedit secularibus Principibus facultatem, vt seruituti subiciantur feminæ, quæ contraxerint cum initiatis ordinibus sacris, si illi admitti à suis Prælati, non desiterint. Item in Concilio Toletano 9. cap. cum multa 15. quest. 8. Sanctum est, vt filij, qui ex nefario Matrimonio cum initiatis ordinibus sacris fuerint suscepti, non solum excludantur omnino ab hæreditate parentum, sed etiam serui sint in perpetuum eius Ecclesiæ, ad quam initiatum illi pertinet. Item libertus qui in eum le grauitur ingratum exhibuerit, qui sua sponte illum manumittit in pœnam delicti redigitur in seruitutem, l. si manumissus, Cod. de liber. & eorum liberis, & Inst. de cap. 1. dimittit. §. Maxima. Præterea cap. de raptorib. 36. q. 1. constituitur, vt si raptor cum rapta ad Ecclesiam confugerit, constituturque raptam violentiam perculsit, raptor seruituti subiciatur, at se redimendi libertatem habeat facultatem. Si verò puella raptori confuerit, illaque patrem habeat, raptor patri simili satisfactione teneatur. Et hæc omnia docet Malderus de iust. tractat. 1. 1. disputat. 5. dub. 2. Dicastillum de iust. lib. 2. tract. 1. disput. 1. dub. 11. n. 146. Lessium lib. 2. cap. 5. dub. 4. num. 14. & Eminentissimus Cardinalis de Lugo de iust. tom. 1. disput. 6. sect. 2. n. 13. Fagundez de iust. lib. 2. cap. 1. num. 7.

## RESOL. VII.

An quis efficiatur seruus titulo venditionis?  
Et an liceat emere eum, qui se egestatis causa vendidit?  
Ex p. 7. tr. 7. Ref. 7.

§ 1. **R**espondeo, quod etiam seruitus contrahitur venditione qua quis ex libero fit ex sua voluntate seruus, quod quilibet liber potest ex natura rei validè efficere, quia non minus est dominus sive libertatis, id est, suarum operarum quam honoris, & famæ, & pecuniæ; vt tamen licitè fiat, requiritur aliqua rationabilis causa, aliàs esset prodigius, & profusor sine libertatis, quæ pretantior est bonis fortunæ, honoris, & famæ: Vt tamen venditio libertatis validè fiat, præres conditiones requiruntur iure Casarico, l. 4. ff. quæ res ad libertatem, & iure Castelle leg. 1. tit. 2. n. 3. 4. Prima conditio est, vt quis non se ipsum immediate vendat, sed per alterum. Secunda, vt qui patitur se vendi, sit maior viginti quinque annorum. Tertia, vt intendat esse particeps pretij, & quod re ipsa sit particeps illius. Quarta, vt emptor credat illum esse seruum. Quinta vt qui venditur, sciat se esse liberum ante venditionem. Sexta, vt eum vendens sciat esse liberum. Concurrentibus igitur simul his sex conditionibus, valida esset venditio, & vsque adeo ille seruus ementis efficitur, vt esto ei postea pretium iustum pro illo offeratur, non teneatur eum manumittere. Quod si quacumque de causa illum manumittat, nec ille non ingenuus, vt antea erat, sed liberus. Quacumque

Quacumque autem illarum sex conditionum deficiente, venditio est nulla, concediturque vendito proclamatio ad libertatem. Hæc omnia constant ex l. 1. & 4. ff. quibus ad liberat. proclamare non licet, l. liberis. ff. de liber. caus. l. non ideo, l. si ministerium, C. ead. tit. l. & seruorum. & l. homo liber. ff. de statu homin. ex §. penult. inst. de statu hominum, notat Glossa ibi, & cum ea D. Antoninus, 3. part. tit. 3. §. 5. Syluester, & Angel. verb. seruus, & Doctores communiter. Illud vero obseruandum est, ius hoc solum habere vim, ubi ius Cælareum vim habet. Quin & leges illæ solum videntur loqui de liberis hominibus, qui cum legibus illis sint subiecti, permittunt seipso vendi aliis hominibus, qui eisdem legibus adstringantur, vt satis innuit. l. non ideo, C. de liber. causa. Quid sit, vt si aliquis eiusmodi legibus subiectus, se ipsum sine illis conditionibus liberè vendat in loco, ubi leges illæ non vigent, venditio sit valida: eò quòd iure naturali disponere possit de sua libertate, volentique & consentienti non fiat iniuria. Efficitur deinde, vt si aliquis legibus quidem illis subiectus, sine illis conditionibus, emat aliquem in seruum, attamen in loco ubi leges illæ non vigent, vt Æthiopem in Æthiopia, validus sit contractus, vereque illi, qui emptus est, seruus reddatur. Efficitur præterea, vt si homo legibus illis non subiectus, se ipsum sine illis conditionibus vendat in loco, ubi huiusmodi leges vigent, emptio sit valida: eò quòd leges illæ solum in fauorem libertatis eorum, qui illis subiciuntur, latæ fuerint. Et hæc omnia docet Molina tom. 1. tract. 2. disp. 33. Malderus de iust. tr. 1. cap. 5. dub. 2. & Hurtadus de iust. tract. 1. difficul. 21. Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 4. num. 16. Sanchez in Opusculo tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 2. Eminentissimus Cardinalis de Lugo de iust. tom. 1. disp. 6. sect. 2. num. 13. Caspensis in Cursu Theolog. tom. 2. tract. 18. disp. 5. sect. 1. num. 3. & 4. Megala in p. 2. lib. 2. cap. 19. n. 5.

2. Non deseram tamen hic adnotare Sayrum in Clauis Regia lib. 9. cap. 9. num. 16. & Trullench. in Decalogum tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 8. num. 6. obseruare, sextam conditionem superius positam videri licet, vt qui seruum emit arbitretur illum esse seruum non reperiri in iure: Et ideo non esse necessariam; quod etiam docet Fagundez de iust. lib. 2. c. 1. n. 9.

3. \* Sed curiosa Quæstio est, & dubia, an liceat emere eum, qui se egestatis causa vendidit? nam ad grauem, vel extremam inopiam redacto gratis, & liberaliter lege charitatis cogimur subuenire Nauarr. in Man. c. 23. num. 65. respondet id nobis licere facere, quoniam non compellimur lege misericordiae gratis succurrere, sufficit enim mutuo pecuniam dare, ac proinde etiam pretio dato operas hominis indigentis conducere. Sed certè distinguendum est: aut is qui indiget, nihil hic, aut alibi habet, aut secus. Rursus, aut nihil nunc habet, at reuera habebit postea. Si igitur ita simpliciter indiget, vt nihil alibi habeat, nec postea sit habiturus, liberaliter est eius egestas subleuanda, non pretio libertas emenda: Si autem alibi habeat, aut postea habiturus sit, licet nobis vel mutuum aliquid dare, vel eius operas mercede conducere, vel pretio libertatem eius emendo redimere. Pari ratione cuique licet seipsum vendere causa egestatis, qua parens laborat; item; vt Principem pretio redimat. Et hæc docet Azorius part. 2. lib. 2. c. 3. l. 9. 2.

lita ab aliquibus in Angola, Guinea, & Viridi Promontorio? Et docetur posse Parentes in necessitate constitutos filios vendere. Imo posse quemquam se ipsum vendere in eadem graui necessitate constitutum. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 7. alias 70.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam tenet Molina de Iust. tom. 1. tract. 2. disp. 34. per totam. Caspensis in Cursu Theol. tom. 2. tract. 2. disp. 5. sect. 1. num. 11. & Fagundez in Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 12. num. 15. quia huiusmodi mancipia, ait ille, aut emuntur bona fide, aut mala, aut cum dubio illius. Si emantur bona fide, licitè emi, si verò mala, aut cum prædicta dubitatione, quòd iuste capti sint, illicitè planè emi, & teneri emptores ad eos restituendos, & dimitteudos amisso etiam pretio, quia huic fortunæ alæ se exposuerunt, quando cum mala fide; vel cum eodem dubio emerunt; sicut ille, qui rem alienam, & furtiuam emit, aut de qua probabiliter dubitat esse furtiuam, velit nolit, tenetur eam restituere, quia ad id sese exposuit, quando sub eodem dubio, emit, iuxta communem omnium doctrinam de qua infra agemus.

2. Si verò à principio bona fide, & absque dubio emerunt, & postea subiit dubietas, in eo dubio melior est conditio possidentis, maxime quia quilibet venditor præsumitur bonus, & vendere quod suum est; quare si à principio quando aliquis mercator eos seruos in Angola, aut Guinea emit, nullus erat rumor, nulla præsumptio, quòd illi iniuste essent in seruitutem redacti, vt venderentur; melior est conditio illius cum sit possidens.

3. Quando autem rumor est in iis Regionibus communiter alpeisus, multos in nudinas ad venditionem afferri, qui sunt furto ablati; vel quando in euentu aliquo peculiari indicia aliqua probabilia concurrunt, quibus merito timendum sit eos fuisse iniuste captos, illicitum planè est eos emere, nisi facta prius diligentè inquisitione constet liquidò eos iuste vendi posse, & qui ita emont, tenentur illos dimittere.

4. Deinde ubi supra Fagundez obseruat in Guinea, & Angola esse aliquos dominos temporales Æthiopes, & Nigritas, Sobas vocant, qui habent certos Nigritarum pagos à tempore immemoriali instar pecorum, aut vaccarum, aut boum caularum, ex quibus ad libitum ad venditionem extrahunt, quos volunt, & quando volunt; de his quidem qui istis caulis aluntur, & qui ex illis venduntur, certum est nullum posse esse iustum scrupulum in tali eorum emptione, vel quia ab initio filios suos huiusmodi Sobis, ac Regulis in vrgenti aliqua necessitate vendiderunt, & postea ita multiplicarunt, vt in pagulos diuiderentur, vel quia in bello iusto capti fuerunt, & vita eis fuit relicta sub misera conditione seruitutis, unde si hæc ita sint, de his nulla potest esse iusta dubitatio, quòd iuste, & sine scrupulo vendantur & emantur.

5. Deinde sciendum est posse parentes in graui necessitate constitutos filios vendere, vt passim affirmant Doctores, & ex iure probant, & præsertim Molina, tom. 1. de iust. tota disp. 33. à §. tertia conclusio, & deinceps; imò posse quemquam seipsum vendere in eadem graui necessitate constitutum, manifestum est, vt idem docet Molina ibid. & ideo in multis Indiæ, & Angolæ locis, in quibus sæpe fames dirè admodum grassatur, & miseros premit incolas, fas est emere filios Infidelium, annona, vel pecunia, & parentes etiam illorum, qui se volunt vendere in seruos, in huiusmodi miseris constitutos, vt docet probat Molina allegatus. Nefas autem est denegare illis annonam si iustum pretium pro illa offerant, vt sic cogantur libertatem vendere; si tamen vnus libertatem offerat,

Sup. hoc late in Ref. seq. &c.

Sup. hoc in Ref. præterita §. vi.

RESOL. VIII.

An sit licita emptio mancipiorum Æthiopum fieri so-

offerat, & alius pretium, nec vtrique possis subuenire, fas tibi erit illum praeponere, qui pretium iustum pro annona tibi ostendit, ei qui libertatem pro ea offert. vt doctè animaduertit Molina d. tom. 1. de inst. disp. 33 §. tertia conclusio, & de emptione, & venditione huiusmodi nulla etiam esse potest dubitatio, quòd sit iusta, modò iustum pro ea pretium offeratur, & detur.

6. Sunt etiam, vt dixi alij duo modi captiuitatis inducendae, vel cum vpus Nigitarum Rex aduersus alium iustum bellum habet, & multos captiuat illorum in quibus mortè eam vita cõmutauit sub cõditione seruitutis, vel cum Rex iuxta leges suas ob delicta aliqua supplicio mortis digna eos in captiuos accipit, vt vendat, ne occidat & de his processit doctrina tradita n. 15. vers. si vero, & n. 16. nam si rumor erat communiter per eas regiones spatius bellum fuisse iniustū, aut illos falsis criminibus impositis captiuos à Rege suo fuisse factos, & id tempore venditionis in communi hominum opinione erat, tunc etiam diximus, licitè emi non possunt, & tenentur emptores eos dimittere, quia velint nolint ad id sese exposuerunt, quando cum eo dubio, & eo rumore emerunt. Et hæc omnia obseruat Fagundes, vbi supra.

7. Verum his non obstantibus, emptionem supradictorum mancipiorum ferè semper tanquam illicitam damnat Mercado de contr. lib. 5. c. 15. Garfias de Contr. par. 1. c. 17. Palacios de Controuer. lib. 2. cap. 8. & alij. Sed quando casus in facti contingentia occurrerit, ne deseras recognoscere Sanchez in Opus. tom. 1. lib. 1. c. 1. deb. 4. n. 10. & seq. cum Trullench in Decalog. tom. 3. lib. 7. cap. 2. dub. 8. n. 10.

## RESOL. IX.

An Pater, aut Mater in necessitate constituti possint vendere filium, aut permutare, vel alio quocumque contractu filium alienare?

Et quid, si filius sit coniugatus, emancipatus, sacris Ordinibus initiatus, aut Clericus?

Et vtrum, si occurrat aequalis Patris necessitas cum nimia paupertate, & egestate, aut etiam maior, vt si in seruitutem sit redigendus, aut occidendus, vel mutilandus, nisi filium vendat, fas sit Patri filium vendere?

Et an in supradictis casibus, deueniente postea Patre in pinguiorem fortunam cogi possit, vt filium, quem ita vendidit, redimat? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 8.

Sup. hoc. in §. 1. Respondeo affirmatiuè cum Hurtado de inst. Ref. præc. ta §. Deinde, c. 1. in principio, & in Ref. seq. etiam breuiter in fine §. 1. Disp. 1. diff. 21. & aliis. Dico igitur quòd iure naturæ fas esset parentibus in graui sua necessitate filios vendere. Id quod Exodi 21. etiam colligitur. Cum verò quondam, referente Couar. 3. var. resol. cap. 14. n. 4. lege Romuli licitum esset patribus vendere filios, si casu semel, atque iterum manumitteretur, idque etiam nulla parentis cogente necessitate, postea tamen iure Cæsareo. l. 1. & 2. C. de patribus, qui filios suos distraxerunt, sancitum est, vt non nisi nimia paupertate, & egestate parentes cogente, id liceat, aliquin sit alienatio nulla. Præterea, vt quocumque emptori iustum pretium offeratur pro filio, aut filia ita venditis, aut æquale aliud mancipium, is, qui ita fuit venditus, non solum maneat liber, sed etiam fiat ingenuus, ac si nunquam in seruitutem incidisset. Quod de venditione dicitur, intelligerem etiam de permutatione, aut quocumque alio contractu quo filius alienaretur, vt grauissimæ patris necessitati subueniretur. Meritò autem Couar. loco citato, cum multis aliis, quos citat affirmat, deueniente postea patre ad pinguiorem fortunam, cogi posse, vt filium quem ita vendidit, redimat. Facultas autem illa, filios in graui pa-

rentum necessitate vendendi, intelligatur, intermedium filij sub patria sunt potestate, factis verò filiis iuris, parentibus non licet, vt ait Gloss. leg. 2. Cod. de patr. qui filios suos distraxerunt, & habetur l. 8. tit. 17. par. 3. legum Castellæ, Affirmatque Arias Pinellus, ad rub. Cod. de bon. mater. par. 2. num. 23. Imò si filius esset coniugatus, esto de iure communi non debet egredieretur patriam potestatem, vt de huius Regiæ, & Castellæ iure egreditur, vendi non potest: quia id cederet in detrimentum vxoris, neque etiam hodie potest pater vendere filium ordinibus sacris initiatum, vt Couar. loco citato, ait: esto, ordo sacer cum non eximat à patria potestate. Præterea, qui filius de iure Cæsareo non est sub matris potestate, de eodem iure vendi non potest à matre, vt affirmat Gloss. citata, & cum ea Arias Pinellus loco citato. Dubium est, vtrum si occurrat æqualis patris necessitas, cum nimia paupertate, & egestate, aut etiam maior, vt si in seruitutem sit redigendus, aut occidendus, vel mutilandus, nisi filium vendat, fas sit Patri filium vendere. Glossa citata, quam Couar. loco citato, & alij sequuntur, negant, quoniam iniquum, l. 2. citata, solum concessit facultatem in casu nimie paupertatis, & egestatis. Placet tamen magis sententia Pinelli loco citato num. 27. contrarium affirmantis. Ea namque lex per epicheiram casus, in quibus par, aut maior est ratio, extendenda est, quoniam si eiusmodi euentus legi statim tunc occurrissent, illos proculdubio expressisset. Illud admemorim, legem secundam citatam, solum habere vim in locis, in quibus ius Cæsareum viget, vt de præcedentibus dicebamus. Quare, & in Æthiopia, & in aliis similibus locis, standum est iuri naturali, nisi forte eo in loco aliquod peculiare sit ea in parte Quò fit, vt in euentibus, in quibus iure naturali fas est patri, aut matri propter egestatem, aut aliam similem causam, filium vendere, si venditio fiat in loco vbi nullum est peculiare ius, venditio sit valida, vendituique maneat rere seruus. Neque verò illo priuilegio fungi poterit, scilicet reddito pretio competenti, aut mancipio aequali, restituitur libertati, sitque ingenuus, quòd lex illa in fauorem libertatis eorum, qui legi illi libere sunt, sit lata. Idem dic, si in eodem loco vendatur aliquis, qui extra illum locum subiectus est iuri Cæsareo, vt si aliquis nostratum apud Æthiopes necessitate compulsus suum illis filium vendat. Et hæc omnia docet etiam Molina de inst. tom. 1. tr. 1. disp. 33. cui ego addo Fagundes de inst. lib. 2. cap. 1. num. 9. vbi sic ait: Notat Pinellus ad rubricam, Cod. de bonis maternis, 22. à num. 20. communem esse Iuristarum opinionem, quam ipse etiam sequitur, in tali casu maximæ necessitatis, soli Patri, non matri permitti venditionem proli propter inbecillitatem matris, & consilij inopiam, quæ in feminis reperiri solet, & quòd Pater diligat prolem constantius, mater verò intensius: de iure tamen naturæ etiam matri competit prædicta venditio filiorum: notat etiam num. 23. vnanimiter sentire Doctores l. illam 2. Cod. de Patribus, qui filios suos distraxerunt, non procedere, quòd ad filios iam emancipatos, sed tantum quoad extantes sub patria potestate, quæ moderatio stando etiam in iure naturæ, videtur habere locum. Notat rutilus, num. 27. licet in dicta lege solum exprimaturs calumnia famis, & egestatis, si tamen detur alia similis, aut grauior necessitas, v. g. si Pater sit ab hostibus in seruitutem abducendus, aut occidendus, vel mutilandus, nisi vendito filio, vel filia se redimat, extendendam esse legis permissionem ad huiusmodi euentus, in quibus par, vel maior ratio militat. Ratio est, quia hoc non est pœna, quæ restringi debeat, sed est æquitas naturalis, qua filij ducente iure naturæ, tenentur concurrere parentibus à quibus totum esse, & substantiam acceperunt.

2 Notandum

2. Notandum est tamen hic cum Acacio Enkelio de Privileg. Parentum, & Liberum, Privil. 29. n. 22. & aliis; Patrem non posse vendere filium Clericum.

RESOL. X.

An in extrema necessitate non solum Pater, sed etiam Mater possit vendere, aut donare, vel permutare filium? Et supponitur, quod homo liber vendi non potest. Ex p. 9. tit. 7. & Misc. 2. Ref. 27.

§. 1. Certum est, quod homo liber vendi non potest, etiam si referatur in tempus, quo iam fit servus. Ita prohibetur l. Sed Celsus, citata, & l. Si emptione, §. Omnium rerum, ff. De contrahenda emptione, & §. 1. Inst. de in iurib. stipulation. & l. 1. §. titulo 5. parit. §. Legatur Molina disp. 240. num. 21. & disp. 33; Quando autem l. Et liberi homin. ff. de contrahenda emptione, dicitur valere venditionem liberi hominis factam ignorantibus illum esse liberum; hoc dicitur ad effectum; quod venditor, qui liberum esse sciebat, tenetur emptori ad interesse, iuxta §. vltimum, Inst. de empt. & vend. Si autem venditor ignoranter vendidit, solum repetit emptor pretium. Ita Anton. Gomz tom. 2. variarum, c. 2. n. 50. Legatur Molina disp. 263. ad finem. In extrema tamen necessitate famis, potest filius vendi a patre, vt habetur in l. 2. C. de patribus, qui filios suos distraxerunt, & ita docent communiter Iurisperiti, & Theologi, vt Diezillus de inst. lib. 2. r. 9. disp. 1. dub. 1. n. 85. & alij.

2. Difficultas est, an hæc potestas extendatur ad matrem? Casus est curiosus, & à paucis pertractatum inuenio. Negatiuum sententiam docet Petragius Acacius trat. de privileg. parentum, & liberum, prinil. 2. n. 18. qui citat Glossam, Baldum, Salycetum, & Azonem. Probari potest hæc opinio, primo: quia qui in potestate aliqui non habet illud vendere non potest: atqui in proposito casu famis, videlicet, & egestatis, permittitur patribus liberos distrahere: igitur in potestate liberos habere eos oportet. Iam verò matrem non habere in potestate liberos, expediti est iuris. Sequitur proinde, quod mater non possit liberos ex prædicta causa distrahere. Si transactio mater non potest liberos efficere servos; multò minus potest venditione eos in statum servilem deducere: atqui verum est prius, per l. Transactio 26. C. de transact. Igitur, nec mater liberos vendendo efficere potest servos. Leges semper intelligi debent iuxta rubricam, sub qua ponuntur. Atqui rubrica, sub qua illa l. 2. collocata est, concepta est nominatim & expressè de patribus, qui liberos distraxerunt, non autem de parentibus: ergo prædicta l. 2. illi rubricæ subiecta, non de parentibus, sed de patribus accipi debet.

3. Sed, his non obstantibus, affirmatiua sententiæ mordicus adhaeret Hylricus Hunnius in vol. 2. Tract. r. 28. Thef. 4. q. 20. Quia in toto illo titulo, C. de patribus, qui lib. suos distrax. nulla proflus mentio fit patriæ potestatis, nec vnico quidem verbulo innuitur, quod ius istud. distrahendi liberos, effectus sit patriæ potestatis, eiuque intuitu patribus competat. Nec denique alio in loco iuris nostri ad patriam potestatem referatur. Proinde verisimile non est ius istud effectum esse patriæ potestatis. Ex quo sequitur, quod ius istud distrahendi liberos ad matrem aequè, acque ad patrem spectet. Et sanè alia logè ratio, ob quam patribus eodem modo potestas, accepto pretio, distrahendi liberos, ab Imperatore indicatur in d. l. 2. necessitas videlicet, nimiaque paupertas, & egestas, in qua sola sese fuit Imperator.

Tom. VII.

Atqui per pei hoc fieret, si præcipua illius distractio nis ratio in patria potestate consisteret: per quam enim absurdum foret, ratione constitutionis vt iam, ac principale silentio inuolueret; etiam verò ratione ad rem partum pertinentem, aut sanè minus principalem assignare; quod de tanto Imperatore præsumi non debet. Deniq; Imperator Constantinus in d. l. 3. C. de patribus, qui lib. suos distrax. vultur verbo; Si quis. Iam verò verbo hoc, Si quis, tam feminas, quam masculos contineri, author est Iuriscòsultus in l. 1. ff. de verbor. signif.

4. Nec obstant argumenta pro opinione negatiua. Respondet Hunnius, & ad primū alieit, laborare æquiuocatione vocabuli, potestas. Cum enim dicitur, quod quis in potestate non habet, illud distrahi non posse, nomine potestatis significatur dominium. At in proposta quaestione potestas, non dominium, sed ius illud, quod parentes in liberos habent, denotat, quod à dominio diuersissimum est. Ad hæc, quod d. l. 2. permittit parentibus liberos suos ex causa famis, & paupertatis vendere: id planè singulare est contra ius commune receptum, vt ex præcedente l. 1. relucet: non igitur patriæ potestati, tanquam eius effectus, adscribi debet; alioquin semper & regulariter liceret parentibus, etiam extra hunc necessitatis casum, liberos vendere.

5. Ad secundum quoque non est difficilis responsio: regulariter quippè, & ordinariè mater non potest sua transactioe liberos suos efficere servos, aut quacunque alia ratione in seruitutem conicere; id, quod vult, d. l. 26. C. de transact. Sed nec patri, extra prædictum necessitatis casum, idem permillum est, d. l. 1. Si igitur ex d. l. 26. rectè inferatur, quod mater non possit ex causa paupertatis, & famis liberos vendere, ex eodem certè fundamento idem de patre quoque concludendum erit. Quocirca casus d. l. 2. planè singularis est, & exceptionem à regula d. l. 2. continet.

6. Ad tertium respondeo, argumentum à rubro ad nigrum non esse perpetuum, nec necessarium, sed probabile duntaxat, nec eo casu procedere, quo ratio legis generaliter est ipsa rubrica: ex ratione enim legis, vt quæ legis est anima, lex potius capit interpretationem, quam ex rubrica: & interpretatio, quæ ex legis ratione sumitur, necessaria est: at quæ ex rubrica petitur, probabilis duntaxat, Iam verò, ceteri rubrica sit de patribus duntaxat concepta, ratio tamen legis secundæ ita generalis est, vt parentum virtute quæ sexum comprehendat. Sed de sola venditione dicitur lex 2. Codicis loquitur, nec donare, nec permutare filium licere colligit Baldus in d. l. 2. q. 3. Salyc. ibi, numer. 3. Ego tamen, vt de donatione consentio, quia contra rationem d. l. 2. non victus causa filium alienæ potestati tradit, qui donat, & eo non plus habet, quam antea: ita de permutatione, si filium in seruitutem tradat pro victu certo, aliud consuerim: idem enim egit, ac si vendidisset: permutatio enim vnica est emptori, l. 2. ff. de rerum permut. imò vicem obtinet emptionis, l. 2. C. eod. tit. §. item pretium. Inst. de empt. & vend. Et hanc sententiam tenet etiam Acacius ubi supra; hoc tamen admittens, vt diximus, in solo patre, sed Hunnius admitteret etiam in matre.

RESOL. XI.

An quis ratione naturæ efficiatur servus? Et an possim fugere, qui à se, vel Parentibus legitime sunt venditi, vel in penam criminum in se ad seruitutem sunt condemnati? Et eandem conditionem subit proles, quam mater. Et an peccet, qui consilium seruis ad fugam dedit? Et an teneatur ad restitutionem totius damni inde sequenti? Ex pat. 7. tract. 7. Ref. 9.

00

§. 1. Alius



Sup. hoc in  
fra in Ref.  
14. §. VI.  
cursum in fi  
ne.

§. 1. **A**lius titulus ex quo quis efficitur seruus est conditio natiuitatis. Qui namque nascitur ex matre ancilla, siue Pater liber sit, siue non, siue nascatur ex matrimonio legitimo, siue ex copula fornicaria, est seruus: quia partus sequitur ventrem. Ita habetur *l. partum, Cod. de rei vendic. §. pen. inst. de iure personarum, §. Sed & si quis, institut. de ingenuis, cap. unico de natis ex libero ventre*, estque communi vsu in Hispaniis comprobatum. Si tamen mater, vel quando concepit, vel tempore partus, vel intermedio tempore libera sit proles nascitur libera: eo quod in fauorem libertatis partus sequatur ventrem pro quocunque tempore liber fuerit, dum foetus intra illum contineretur. Ita habetur *§. Sed & si quis, Instit. de ingenuis*, traduntque Doctores communiter. Vbi tamen id in fauorem libertatis constitutum non esset, natura rei potius posulat, vt solum tempus partus spectetur, standumque esset iuri, aut consuetudini eius loci. Si item quoad alia esset alicubi aliud peculiare ius, aut consuetudo, nempe, vt proles sequeretur patrem, vel vt ad illius seruitutem necessarium esset vtrumque parentem esse seruum, vel aliud simile, standum esset illi iuri, aut consuetudini, vt ex *c. licet, de coniugio seruorum colligitur, & docet eo loco Panormitanus*. Ius tamen Caesareum, quo vtitur, maxime hac in parte rationi consentaneum est. Primum quoniam de matre constat: de Patre vero nihil potest esse certum. Secundum, quoniam mater periclitatur in partu: pater vero non item. Tertium, quoniam licet pater praecipue ad generationem concutatur; partus tamen quodammodo est magis fructus matris, plusque concurret ad nutritionem, & educationem filiorum, & plus impeditur a seruitute domini, tam dum grauida est, quam dum proles educatur, quam pater. Et ita docet Malderus *de iust. tract. 1. c. 5. dub. 2. Molina tom. 1. tr. 2. disp. 33. Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 4. num. 13. Fagundez de iust. lib. 2. c. 1. n. 5.*

2. Sed omnia supradicta procedunt de iure Ciuili; nam de iure naturae contrarium dicendum esse putat Hurtadus *de iust. disput. 1. diff. 11.* vbi sic ait. Contrahitur seruitus iure Caesareo, & Castellae, ratione natiuitatis ex ea, quae semper a puncto conceptionis ipsius proles vsque ad partum inclusiue, est ancilla, quod si pro aliquo momento totius temporis dicti libera fuit, proles manet libera dispositione iuris Caesarei, iure tamen naturali credimus prolem ancillae nasci liberam, quia quamuis sit fructus ancillae, est tamen fructus intellectus, & liberi arbitrij, qui sicut ratione natiuitatis non nascitur seruus matris adhuc liberae, multo minus nascitur seruus domini iuxta matris ancillae. Vnde in Prouinciis, in quibus ius Imperij non viget, aut non habetur aliud simile, proles relinquenda est libera.

3. Dicendum est igitur ex supradictis, quod si mater fuit libera, quando concepit, aut in partu, aut tempore aliquo medio inter conceptum & partum (etsi vel ad momentum) proles iure Caesareo non contrahit seruitutem; vt expressè habemus *instit. de ingenuis, §. Sed & si quis*. Ratio est, quia hoc ipso momento, quod mater efficitur libera etiam proles libertati est restituta: vnde calamitas matri superueniens, non debet nocere proli libertatem assecuta: praesertim cum causa libertatis sit maxime fauorabilis. Vbi tamen nulla est lex, vel consuetudo disponens de seruitute proles, sufficit vt mater in partu sit ancilla quia proles in partu est fructus ancillae, non liberae. Ita seruari dicitur apud plerasque gentes, quae iure communi Caesareo non vtuntur.

4. Ex dictis in Superioribus Resolutionibus infer-

tur Primum; quod qui a se, vel a parentibus legitime sunt venditi, fugere non possunt. Ratio est, quia cum sint facti serui per legitimum contractum in quem ipsi, vel parentes eorum loco iuste consenserunt, tenentur contractui stare, nec possunt illum violare, absque iniustitia; sicut nec alias venditiones.

5. Inferunt Secundum; quod qui in poenam criminum iuste ad seruitutem sunt condemnati, non videntur posse fugere: est communis fere DD. sententia. Ratio est, quia reus tenetur exequi iustam sententiam, si poena talis sit, vt non possit nisi per reum executioni mandari: atqui seruitus est talis poena: ergo: nam si seruitus illa sit valde calamitosa, probabile est fugere posse, obuia commoda occasione: contrarium enim est nimis durum & superans humanam conditionem, praesertim talium hominum.

6. Inferunt Tertium, quod Proles eandem conditionem subit, quam mater. Vnde si mater se vendidit, vel a parentibus iuste vendita est, vel ob crimen legitime addita, proles non potest fugere. Hinc legitur, eum, qui huiusmodi seruis consilium, vel auxilium ad fugam praebet, peccare, & ad restitutionem teneri totius damni inde secuti: vt si fugit, & abstitit simul 100. aureos, qui fugam iussit, tenetur damnum restituere non solum pretium serui, sed etiam damnum, quod fugiens intulit: quia totius damni causa censetur.

7. Sed quid dicendum de seruis bello captis, infra redibit sermo. Sed circa praesentem Questionem ne deseras videre Eminentissimum Cardinalem de Lugo *de iust. tom. 2. d. 6. sect. 2. num. 15. & seq.*

## RESOL. XII.

*An serui capti in bello iusto a inter Infideles, quam inter Christianos, possint licite fugere ad sua, vel ad alia Regna; vel peccent, & teneantur restituere?*

*Idem dicendum est de filiis eorum.*

*Et quid, si capti in bello iusto promiserint se non fugituros?*

*Et an teneantur ad restitutionem, qui eis auxilium, aut consilium ad fugam dederint?*

*Et an famulus, non seruus, qui ob stipendium, vel causa ediscendi officium cum Domino conuenit, ad certum tempus, & annorum numerum peccet mortaliter, si a Domino fugiat?*

*Et si queras, an si seruus possit commode se pecunia redimere, tuncne ille possit tua conscientia fugere, vt redeat ad suos?*

*Et si Dominus, qui seruum cepit in bello iusto, eum alteri vendiderit, an tunc tua conscientia talis seruus fugere poterit ab eo, qui eum emiit? Ex part. 7. tr. 7. Ref. 10.*

§. 1. **N**on solum questio procedit in bello inter infideles, sed etiam inter Christianos, vt si v. g. tempore induciarum Christiani aggrediantur infideles, certum est quod in tali casu, vt notat Faustus in *spec. consil. disput. 1. quest. 28.* efficitur serui infidelium: Difficultas ergo est, an licite possint fugere: Et negatiuam sententiam ex Nauarro, Turrecremata, D. Antonino, & aliis docet Molina *tom. 1. tr. 2. disp. 37. concl. 1.* vbi firmat, quod captus in bello iusto, vt de iustitia capientium, & iniustitia aduecti iusto, vt de iustitia capientium, & iniustitia aduecti iusto, teneturque seipsum restituere, esto ad minimum suum, teneturque seipsum restituere, esto ad suos peruenerit. Probatur primum, quoniam possit: hoc

erat legitimus ac indubitatus illius dominus, & ipse fugiendo seipsum ab eo furatus, vt habetur l. C. de seruis fugitiuis: ergo & peccat lethaliter, & tenetur seipsum restituere, non solum ex parte iniustæ acceptationis. Confirmatur eum peccare lethaliter, etiam si extra fines capientium, atque ad suos fugiat, quoniam l. 3. C. eod. tit. statuitur, vt deprehensus in eiusmodi fuga, puniatur, vel emputatione alterius pedis, vel deputatione ad metalla: tam grauis autem poena non potest iuste statui, nisi pro culpa lethali. Hac verò in re potius standum est legibus Codicis, quam Digestorum, non solum quod posteriores sint, sed etiam quod sint Principum Christianorum, statuaturque supposita iustitia, quæ in Christianorum bellis esse debet. \* Ac sanè consuetudine est receptissimum, seruos fugientes tunc maximè puniri, quando deprehenduntur fugere ad suos, quocumque titulo in seruitutem iuste sint redacti. Adde, si nefas esset punire seruos bello iusto captos, & ad suos fugientes, inutilem admodum fore eiusmodi seruitutem. Quotidie namque serui fugam arripent ad suos, scientes se nec peccare, nec posse licite pro ea fuga puniri. Vnde plus domini infunderent in eis querendis & asportandis, quam esset eorum, tum obsequium, tum etiam valor. Præterea, eiusmodi seruitus dominis esset multorum peccatorum occasio, dum continere se non possent, quin seruos toties fugam ad suos arripientes, eaque tot damna ipsis inferentes, punirent: quare potius homines iuste interficerent hostes suos in bello, in quam ad tale seruitutis genus eos asportarent; quod in detrimentum ipsorummet seruatorum redundaret. Ita Molina; vnde addit; \* suadentem fugam homini bello iusto capto, aut ad eam illum adiuuantem, tenei restituere domino valorem mancipij, & si quæ alia damna illi vltius inde sequantur. Et hanc sententiã Molina tenet etiam nouissimè Machadus de perfecto Confessario tom. 2. lib. 6. part. 7. tit. 13. documento 3. num. 4.

2. His tamen non obstantibus affirmatiuæ sententiæ adhaereo, quam tuetur me citato Trullench in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 6. num. 6. Sanchez, in Opusf. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 5. Turrian. de Iustitia, disput. 32. dub. 2. Caspensis in cursu Theol. tom. 2. tract. 28. disput. 5. sect. 1. num. 7. & Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 5. num. 14. vbi affirmat posse seruos bello captos fugere ad suos, non tamen dominis persecutibus vi resistere: & probat hoc ex legibus Ciuilibus, & ex multis rationibus: Primò, quia cum hæc seruitus communi consensu gentium sit introducta, non debet eius conditio magis onerari quam consuetudine totius orbis sit receptum: atqui consuetudo habet vt tales serui sine conscientie scrupulo possint ad suos fugere: neque hoc censetur illicitum, nisi forte \* dedissent fidem de non fugiendo, & ea lege vita esset condonata, tunc enim tenentur stare promissis. Secundò quia hæc seruitus ceteris est nobilior, Minutiq; probiora: vnde etiam in viros nobiles cadere potest: ergo non est cogenda in eas angustias, in quas aliæ seruitutes. Tertio, si non possent fugere, beneficium illud legum, quo conceditur libertas in termino, esset inutile, quia non possent illud nisi per peccatum consequi, vnde esset illecebra ad peccandum.

3. Ex his inferitur licitum esse cooperari huiusmodi seruo ad fugam; modo scandalum, & aliæ indebitæ circumstantiæ absint. Secundò, idem esse iudicium de prole; quia non est deterioris conditionis suo parente. Tertio, idem ius permanere, etiam si decies quis vendatur: nam iure belli seruus censetur, cuius primaui seruitus sic est constituta, etiam si decies venierit.

4. Limitantur supradicta; nisi capti bello iusto

promiserint se non fugituros, tunc enim tenentur fidem seruare. Ita ex multis Sanchez vbi supra num. 6. qui etiam dub. 7. num. 3. notat seruos bello iusto captos, non solum in patriam fugere potest, sed etiam alibi extra hostium confinia: igitur possunt fugere absque peccato, etiam in omnibus Regnis, distinctis tamen à loco captiuitatis. Licet contrarium doceat nouissimè Fagundez de Iust. lib. 2. cap. 2. num. 11. vbi sic ait: Procedit hæc opinio de fuga ad suos, quia hæc sola est iure, & consuetudine concessa ad recuperandam libertatem, vnde non licet eis fugere ad Euangelium extra potestatem Domini, vt rectè hæc ait sententia, quia priuati dominos iniuste seruitio eis de iustitia debito, vbi notabis fugas seruorum Aethiopum, qui in bello ex nostra parte iusto à nobis capti fuerunt, communiter esse iniustas & vagabundas, quia ita carent spe euadendi ad suos, vt hoc etiam nomine misera sit illorum conditio. Ita ille.

5. Et tandem Gaspar Hurtadus de Iust. disput. 1. difficult. 21. docet dictos seruos iure Castelle, & Castellæ, si ad suos peruenerint, ita consequi libertatem, vt quamuis postea causa mercaturæ, aut alia causa ad terram dominorum redeant, non possint in seruitutem retrahi. Ita tamen serui, iure iusti belli capti, possunt licite ad suos fugere, vt etiam possunt venditi. Et idem est de filiis eorum qui non alio titulo sunt serui nisi quia sunt geniti ex eis. Ita Hurtadus.

6. Non deseram tamen hic obiter querere, An famulus non seruus, qui ob stipendium, vel causa edicendi officium cum Domino conuenit, ad certum annorum numerum, peccet mortaliter, si à domino fugiat? Respondeo cum Petro Nauar. lib. 3. cap. 1. num. 204. non peccare, si aliqua causa rationabilis adsit; vt si dominus asperæ sit conditionis, & eum malè tractet, aut nimis parca cibaria præbeat, ita vt vix ad eum sustentandum sufficiant, vel si non eum bene doceat officium, vel si melior occasio illi sese offerat à seruitute aliena; & vtilior viuendi modus. Non enim tenetur cum notabili suo de nouo emergente damno, stare contractui, neque dominus est rationabiliter læsus. At peccat mortaliter primò si ex fractione obligationis sequatur domino damnum notabile, vel quia non inueniat alium, vel quia in tali occasione recessit, ex qua notabiliter dominus damnificatur, in quo casu tenetur se domino restituere. Secundò, aliqui putant etiam mortaliter peccare, si abeat absque vlla causa, quamuis nullum damnum domino sequatur. Existimo tamen cum Nauarro non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, quia violentio fidelitatis cum abest iniustitia, solum est peccatum veniale. Et hæc omnia docet Trullench loco citato num. 8.

7. Nota etiam hic obiter, quòd si quæras an seruus possit commode se pecunia redimere: tuncne ille iura etiam conscientia, fugiet, vt redeat ad suos? Respondeo minime, quia ius gentium solum concedit, siue permittit, vt fugiat, quando aliter recuperare nequit. Quid si dominus, qui seruum cepit in bello iusto, alteri eum vendiderit, tutane conscientia talis seruus fugere poterit ab eo, qui illum emit? Poterit, quoniam emptor tacita eiusmodi conditione emisse intelligitur, nec itidem venditor plus imis in emptorem transtulit, quam ipse haberet. Et ita docet Azor. tom. 2. lib. 2. cap. 35. quest. 3.

Ref. 29. 6. Limitanda, & in Ref. 29. 9. vlt. & hic supra in 8. His tamen, huius Rei, post mediū, vers. nisi forte, & in tom. 8. tr. 4. ex Ref. 54. lege doctrinam § Quod si à medio vsque in finem.



## RESOL. XIII.

An serui Turcarum, & Maworum non solum possunt fugere, sed etiam ab illis, non non autem ab alijs auferre, quidquid potuerint, & hoc sine aliquo onere restitutionis: vel teneantur illud restituere, si commode facere possint, qui certe in usus pios impendere? Ex p. 7. tr. Ref. 11.

sup. hoc supra in tr. Ref. 29 §. Et omnia, & late in tom. 8. tr. 7. Ref. 38. paulo post initium, & seqq.

§. 1. **N**egatiuam sententiam tenet Fillucius tom. 2. tr. 28. part. 2. cap. 3. num. 56. vbi sic ait. Etiam si seruus nulla iniuria, vel damno affectus sit, tamen si sit apud Turcas, vel alios Christiani nominis hostes, potest praesertim inops accipere necessaria ad fugam à suo domino, non autem ab alijs. Ratio est, quia semper à suo domino posset iure petere mercedem sui laboris & obsequij praestiti, & quando nil praestitisset iniuria ob retentionem in captiuitate iniusta. Dixi, non autem ab alijs; quia etsi Caiet. 2. 2. quaest. 64. art. 8. videatur concludere vniuersaliter, licere Christianis spoliare Turcas, & Saracenos suis bonis, ob iustum bellum quod publice semper intercedit cum illis, tamen si seruo sit de iis qui publica auctoritate id faciunt, libenter admitimus. At si de iis, qui priuata auctoritate id agant, non videtur tutum, quia rapina, & furtum esset: & Turca etiam res suas iuste possident: vt docet S. Thomas, quaest. 66. art. 8. ad 2. & pluribus docet Azor. de quaest. 7. Quid si seruus egeret extremè, vel grauiter, posset absque dubio surripere ea, quae ad aliquot dies, in quibus probabiliter eandem penuriam passurus esset iussissent; & deinde licebit in iis locis per quae fugiendo transit, ea sibi capere, quibus prouideat suae extremæ, vel graui necessitati. Ita Fillucius.

\* Alibi frequentat in Ref. 2. not. praerogatiua, §. Sed ego,

2. Sed ego \* Alibi ex Molina, & alijs affirmatiuam sententiam docui, & nunc iterum doceo cum Lessio lib. 2. cap. 1. dub. 5. num. 18. vbi sic ait. Seruos certum esse posse fugere si non sint iuste in seruitutem tracti; nec solum fugere, sed etiam vi repellere impediendos, & surripere à suis dominis quantum satis ad compensationem iniuriae, & operæ praestitae; imò quantum possunt, si adhuc duret bellum quod ex parte capientium sit iniustum: quia tunc possunt hoc modo nocere hosti, ex tacito Principis iustum bellum gerentis consensu; vt rectè notat Molina. Sic Christiani à Turcis capti possunt eos spoliare & fugam capessere. Ita Lessius.

3. Vnde Machadus de Perfecto Confess. tom. 2. lib. 7. p. 7. tr. 13. docum. 3. num. 2. sic ait. [Por comun enseñan los Doctores, que el Christiano que esta cautivo en tierra de Moros, ó Turcos, ó qualesquiera otros Infieles, no solamente puede huirse licitamente del poder de su señor por engaño, fraude, fuerza, ó favor necesario de sus compañeros; sino que tambien le es licito en recompensacion de los agravios que ha recebido; y del seruicio iniusto que ha hecho a su señor, hurtarle cantidad competente con que hazer recompensacion; y esto no solo al señor, sino tambien à qualquiera otro enemigo, y segun presunta voluntad del Principe afirman, que no solamente les pueda tomar la cantidad bastante para recompensar los daños propios, sino tambien toda la que cessando el escandalo pudiese tomar de qualesquiera enemigos. Si bien Capetano, y otros niegan, que por autoridad particular, pueda el Christiano que esta cautivo entre Infieles, tomarles mas de lo que fuere el daño que huuiere recebido, ó lo precisamente necesario para el camino. Hæc ille; sed ne deseras nostram sententiam quam etiam tenet notissimè Fagundez de iust. lib. 2. cap. 2. num. 2. Vnde non est audiendus Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 34. quaest. 7. vbi sic ait. Quid faciendum,

quando Christianus seruus redierit, & ex brachijs Turca, vel Saraceni fuerit aliquid furatus, illud restituere debet? Respondeo restituendum esse, si id commodè fieri possit: aut certe in vltis impendendum, nam alienum nemo retinere vltis potest: & cum domino illud reddere commodè nequeat, vel quia ignotus est & incertus, vel quia longe abest, vt ad eum res sua mitti tuto nequeat, in pauperes erogari debet; non tam, quia id sit in rem, & commodum domini, quam quod Republicæ auctoritate constitutum est, vt res aliena, quæ domino restitui non potest, in usus pauperum impendantur, Ita ille. Sed me consolente serui Christiani à Turcis fugientes bona ab ipsis sublata securè sibi retineant, & expendant; etiam in quacumque maxima quantitate.

## RESOL. XIV.

An serui ex parte delicti possint fugere?

Et deducitur posse licite fugere à trirremibus eum qui iuste ad eam penam damnatus est.

Et obseruatur quod proles sequitur matris conditionem, unde si mater se vendidit, vel à Parentibus vendita est; vel ob crimen seruitutis addita est, proles non potest fugere. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 12.

§. 1. **A**D hoc dubium ex Lessio supra, resp. Eminentiss. Card. de Lugo de iust. tom. 1. disp. 6. sect. 3. num. 28. vbi sic ait: Hoc argumentum pro decisione illius dubij, quod desse videbatur ad completam resolutionem quaestionis in titulo praerogatiua, nempe an serui ex sententia in penam delicti Christiani possint licite fugere: de quibus auctores sententia nihil dicunt: nam Sanchez solum dicit, eos, qui à se, vel à patre venditi sunt, non posse fugere, verò bello captum posse licite fugere. Turanus etiam illud membrum seruitutis omisit. Rebelus vero d. q. 12. num. 2. dixit, conuenire omnes, quod serui ratione delicti per iustam sententiam ad seruitutem damnatis fugere non licet. Melius tamen Lessius d. dub. 3. num. 22. dixit, doctrinam illam intelligi debere de seruitute, quæ non sit valde calamitosa, vbi hac enim probabile est fugere posse, oblata commoda occasione; contrarium enim esset nimis durum, & superans humanam conditionem praesertim tantum hominum. Et quidem cum ipse Lessius, Coradus, Baines, Ledesma, & alij, quos affert & sequitur Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 8. num. 16. dicant possit licite fugere à trirremibus eum, qui iuste ad eam penam damnatus est, consequenter idem debent dicere de eo, qui ad talem seruitutem damnatus esset, quæ à praedicta trirremium pena parum distat. Ita Eminentiss. Cardinal. de Lugo. Vide etiam Fagundez de iust. lib. 2. cap. 2. num. 8.

2. Non desinam tamen etiam hic apponere verba Gaspari Hurtadi de iust. disp. 1. diff. 21. vbi sic ait. Quamuis communius & probabilius sit eum, qui in penam iuste condemnatus est in seruitutem, non posse licite fugere, non tamen caret probabilitate, quod possit fugere oblata occasione commoda; praesertim si seruitus sit calamitosa, quia contrarium est durum, & supra conditionem humanam. Ita ille. Cui etiam addendus Trullenchi in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 2. ad 6. num. 3. qui num. 4. obseruat, quod proles sequitur matris conditionem, unde si mater se vendidit, vel à parentibus est vendita vel ob crimen seruitutis addita, proles non potest fugere.

RESOL.

RESOL. XV.

An serui in casu quo possint licite fugere, si inueniantur possint à Domino puniri?

Et an seruitus possit præscribi inter absentes 20. annos bona fide, & inter presentes, an decem anni sufficiant?

Et quid, si mala fide fugiant, an efficiantur liberi post 30. annos? Ex part. 7. tr. 7. Resol. 40.

§. 1. **S**uppono ex dictis supra seruos, & mancipia bello etiam iusto capta, veluti Turcas & Mauros iuste, & licite posse fugere, & iuari res & consilio ad talem fugam (quia qui iure potest aliquid licite, & iuste facere, potest etiam ad id consilio, & opera iuari) modò fugiant in propriam patriam, vel in alia Regna vbi libertatem consequantur, vel ad Ciuitates amicas, veluti Turcæ ad Mauros, non tamen vt vagentur per Regna, & loca vbi sunt serui.

2. \* His suppositis, quero an possint licite domini huiusmodi seruos punire, quando illis constat, quòd ad suos, vel ad regna vbi sunt liberi, effugiant. Lefsius lib. 2. cap. 15. de modo acquir. domin. dub. 5. numer. 27. affirmat, non quòd illi peccent fugiendo, sed quòd hoc privilegium de fuga videtur illis concessum, cum hoc onere in fauorem dominorum, sicut in carceribus detenti licite possunt fugere, & rumpere carceres & tamen si deprehendantur iuste puniuntur. leg. 1. ff. de effraкторibus. Alij autem dicunt nullo pacto licitum esse dominis illos ob eam fugam punire: si autem id faciunt, ideo est, quia illis non constat de fuga ad suos, & quia præsumunt eos fugere ad diuagandum.

3. Notandum est tamen hic obiter, quod seruitus potest præscribi inter absentes 20. annis cum bona fide, vnde si seruus fugiat ad diuagandum inter Christianos bona fide, putans se non esse captiuum, & 20. annis maneat inter Christianos, præscribit seruitutem, & manet de iure liber inter presentes decem anni sufficiunt ad præscribendam libertatem: sic docent communiter Doctores, Petrus Navarra lib. 3. cap. 1. numer. 210. & statuitur in leg. 13. tit. 29. part. 3. docet Gregor. Lopez ibi; si vero fugiat mala fide, efficitur liber post triginta annos; sed hoc de iure Ciuili, & Cæsareo; nam de iure Canonico nunquam præscribit mala fidei possessor, post latam tamen sententiam de libertate poterit in conscientia acquiescere; quia leges præscriptionis ad pacandas etiam conscientias late fuerunt.

RESOL. XVI.

An Christiani mancipia infidelium teneantur in conscientia soluere gabellas à Principibus impostas?

Et an Princeps etiam Infidelis possit tributa imponere soluenda à Christianis per eius Regnum transuentibus? Ex part. 7. tract. 7. Resol. 66. alias 65.

§. 1. **R**esolutio huius casus dependet ab illa Questione, An principes Infideles habeant auctoritatem imponendi gabellas soluendas à Christianis, & de hoc Dubio ego alibi egi; & ad illud nouissime sic respondet Eminentissimus Cardinalis de Lugo de iustit. 10. 2. dissipat. 36. sect. 1. n. 16. Dubitatur vltimo, an Princeps etiam Infidelis possit tributa imponere soluenda à Christianis per eius Regnum transuentibus. Tom. VII.

Negant aliqui eiusmodi tributa à Christianis deberi. Ita Hostiensis, Antonius, Tabiena, Archidiaconus, Angelus, Rosella quos affert Sanchez dicto c. 4. dub. 5. Alij è contra docent, deberi hæc tributa omnibus Principibus Infidelibus: tum quia hosti etiam est fides seruanda, cap. innocens, 2. 2. q. 4. & cap. noli. 23. q. 1. Tum etiam, quia licet Princeps Infidelis iniuste alienum Regnum usurpet: illud tamen dominium non pertinet ad mercatores transuentes, sed ad Principem Christianum, cuius Regnum illud erat; quare non possunt mercatores compensari sibi usurpatione tributi: ita Rainerius apud Syluestrum verb. gabella, 3. quest. 4.

2. Tertia sententia verior distinguit inter Principem Infidelem iusto titulo possidentem Regnum, & illum, qui iniusto titulo illud possidet iniuste Christianis ablatum. Primum itaque debentur tributa etiam à Christianis transuentibus, vel negotiantibus; Secundò non debentur, nisi præcedat pactum de illis soluendis. Ita Vasquez dicto cap. 6. dub. 1. n. 21. & alij, quos affert, & sequitur Sanchez dicto dub. 5. Probatur prima pars, quia illi sunt veri & legitimi Principes; quare ab omnibus iure natura debetur illis quicquid Principi debitum est: Ergo sicut Christiani transuentes per Regnum alterius Principis Christiani, debent ibi tributa iusta soluere, sic etiam debebant transuentes per Regnum legitimi Principis infidelis. Secunda verò pars probatur, quia illi non sunt veri Reges, nec habent titulum: non ergo obligant eorum leges vt potestatem non habente condita, & per consequens tributi lex non obligat Christianos illic transuentes.

3. Hanc doctrinam limitant Primum, vt etiam præcedente pacto de soluendis tributis, non sit obligatio soluendi, quando pactum non fuit liberum, sed metu extortum à Principibus secundi generis. Ita Rosella apud Sanchez n. 6. qui eam limitationem approbat. Secundò limitant, vt debeant etiam eidem Principibus tyrannis tributa solui, quando sine peritio, scandalo, aut mendacijs negari non possent. Ita idem Sanchez n. 8. Denique Tertio limitant, vt debeant eidem solui, si Princeps ille Infidelis pacem fecisset cum Rege Christiano, ad quem Regnum illud pertineret, soluendo ei pro Regno tributum annuum: tunc enim iam ex voluntate veri domini, & non tyrannice Regnum possideret, Ita cum Medina, & Corduba idem Sanchez n. 9. Huc vsque Eminentissimus Cardinalis de Lugo.

4. \* Et ideo ad casum propositum ex supradicta doctrina cum supradictis limitationibus assero Christianos Mancipia Turcarum non esse in conscientia astrictos soluere eorum gabellas; nec obstat eis seruitus; nam nomine tantum sunt serui, sed reuera liberi sunt. Et ita ego in facti contingentia probabiliter consolui, cum olim essem Rector Theologus Regiæ Archiconfraternitatis Redemptionis Captiuorum Regni Siciliæ: Nam quidam Christianus à nobis redemptus à Mauris, cum ibi haberet paruum pécuniam per intermedium personam negotiabat, & aliquando gabellas defraudabat; Et ego tunc eum liberaui à supradicto serupulo.

\* Sup. hoc in tom. 8. tr. 7. Resol. 38. §. vlt.

RESOL. XVII.

An serue, que à Domino ad turpia sollicitantur, acquirant libertatem?

Et an doctrina huius questionis extendenda sit ad masculum etiam seruum, si Dominus ad turpia illum compelleret, vel quia inhumaniter illum tractat; an absque peccato etiam fuga ei liceat?

003 Et

Et in ea, que hic seruus post fugam acquirit, Domino acquirit? Ex part. 7. tr. 7. Ref. 13.

§. 1. **A**D hoc dubium sic respondet Machadus de perfect. Confess. tom. 2. lib. 6. part. 7. r. 13. docum. 9. n. 4. Si quando el señor solicita, e impone necesidad a su esclava pora que pegue con el, consiga libertad, no consta expresamente del Derecho. Con roso es lo comunmente sienten los Doctores, que en tal caso puede ella con buena conciencia huirse de su señor, e tratarse como libre, o pedir ante la injusticia que la venda. Si bien otros Autores Classicos fundados en la ley que trata de esta materia desenden, que puede en tal caso la esclava de quien ha usado mal el señor, implorar el auxilio del Obispo pidiendo libertad; y que deue el Obispo, constandole dello, compeler con censuras, y todo rigor de Derecho al señor, a que conceda libertad a la esclava, por auer usado mal della. Y una glosa celebre de la ley citada aun dize, que todos los Doctores han entendido siempre, que por la dicha ley puede el Obispo por si, dar la libertad a la esclava. Ita ille, cui ego addo Fagundez de Inst. lib. 2. c. 6. n. 1. Molinam tom. 1. tract. 2. disp. 38. Tullench. in Decal. tom. 1. lib. 5. c. 2. dub. 6. n. 2. Et recte hanc doctrinam cum Domino meo Eminentissimo Cardin. de Lugo de iust. tom. 1. disp. 6. sect. 4. n. 30. puto extendendam esse ad masculum, etiam seruum, si dominus ad turpia compelleret.

2. Sed pone seruum a domini sui seruitute se subtraxisse, quia vel a domino incitabatur ad peccandum, & rogatus desistere nolebat, vel quia inhumaniter tractabatur, in quibus casibus seruis fugam absque peccato licere omnes Doctores docent; quaeritur, an ea, que hic seruus post fugam acquirit, domino acquirit? & Respondetur affirmatiue, nam verè adhuc illius domini seruus est, & cessantibus huius causis ad eum reuerti tenetur; quia solum ad euitandum animæ, vel corporis notabile periculum fuga licet, suo autem domino dominus ideo spoliandus non erit, nisi forte tanta esset domini inhumanitas, vt merito seruus libertatem acquireret, cuiusmodi est illa, de qua loquitur text. in l. unica. §. sed scimus, Cod. de latina libert. tollend. vbi si dominus ad serui languidi curam ipse sufficeret, & ad xenodochium mitteret, libertatem seruus acquireret, & succedere ei talis dominus minime posset. Et hæc omnia docet noster Megala, in par. 2. lib. 2. c. 19. quæst. 3. n. 33. Sed limitanda venit eius doctrina in casibus, in quibus serui dominium acquirere possunt, vt supra visum est.

## RESOL. XVIII.

An si Dominus consentiat in matrimonium serui persona libera ignorante, seruus acquirat libertatem?

Idem dicendum est, si Dominus ancillam in vxorem tradat, homini libero seruitutis non ignaro, si tamen Dominus dotis instrumentum ancilla conficiat. Ex part. 7. tract. 7. Ref. 14.

§. 1. **R**espondeo quòd si persona libera matrimonium contrahat cum serua ignorans seruitutem, domino vel tradente, vel certe sciente, & non detegente seruitutem, eo ipso serua persona fit libera ex Auth. de nuptiis. §. si vero ab initio, & est communis Doctorum. Idem est, si dominus ancillam in vxorem tradat homini libero seruitutis non ignaro, sed tamen dominus dotis instrumentum ancilla conficiat: ex l. unica. §. sed & si quis homini, iuncta Auth. ad hoc. C. de latina libertate tollenda. Et hæc omnia docet Machadus 1. 2. lib. 6. part. 7. tr. 13. docum. 9. n. 6. Eminentissimi

mus Cardinalis Lugo de iust. tom. 1. disp. 6. sect. 4. Hurtad. de iust. disp. 1. diff. 22. & alii.

2. Non desinam tamen hic adnotare quod Rebellius 9. 13. n. 6. dicit, quòd in foro interno dominus non teneretur ad dandam libertatem, quando per ignorantiam inuincibilem, & sine animo decipiendi in casibus prædictis ita se gereret, vt non intenderet vilo modo ancillæ libertatem dare.

## RESOL. XIX.

An seruus possit adoptari, & adoptatus an acquirat libertatem?

Et cum Dominus actis interuenientibus, seruum filium suum nominat, an seruus acquirat libertatem? Ex part. 7. tr. 7. Ref. 15.

§. 1. **I**ustinianus Imperator in Inst. lib. 3. tit. de Adoptionibus. §. vlt. sic respondet. Apud Catos bene scriptum refert antiquitas, seruos si a domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Vnde & nos extendit, in nostra constitutione etiam eum seruum, qui a domino actis interuenientibus filium suum nominauerit, liberum esse constituitur: licet hoc ad ius filij acceptandum ei non sufficiat. Ita Imperator. In quibus verbis explicatur duo manumissionis modi. Primò, quod seruis conditionis homo, si a domino suo adoptatus, hoc ipso etiam sine alia manumissione liber confectum efficiatur. Secundo, cum dominus actis interuenientibus seruum filium suum nominat. Prior species libertatem quidem, sed non ius filij seruo tribuit: eo quòd seruus adoptati a domino proprie vò possit, vt innotat leg. vlt. ff. de stat. hom. & leg. vlt. ff. de iur. v. velen. h. n. 3. Borcholt. Giphanius, & Hottomanus Emendat. 2. Idè autem per adoptionem illam, libertas populus, sine præcedente aliqua manumissione, seruo collata intelligitur: tum quia aliàs adoptio illa hæc nullum prorsus effectum haberet, tum quia specie differet potestates, patria scilicet, & dominica, tum ò censetur, aut coherere non possunt: nempe vt aliquis & veri filij familiaris, & veri serui vice fungatur. Vulticius lib. 2. & Mynfinger. n. 2. Altera species simili ratione nititur, quòd nimirum etiam nominatione filij libertas conferatur, ne aliquis planè inutiliter illam factam quis existimet, cum ad ius filij, sine (vbi loquuntur) filiationis ea minime proficit, l. unica. §. similiq. modo. C. de latina libertate tollenda. Vnde vulgatum axicana libere si id, quod ago, non valet, vt ago: valeat tamen, vt valere potest: de quo, post Accursium hic & DD. videtur Alciat. l. 1. par. ad c. 6. & Salomonius in leg. Gallus. §. quidam rectè ff. de lib. & posth. Item illud in ambiguis eam capiendam interpretationem, que facit, vt actus valeat potius, quam pereat. l. querens 12. §. vbi est, 2. ff. de reb. dub. l. cogi. 16. in fine princ. ff. de Senatuse. Trib. l. in obscura, 179. ff. de reg. iur.

2. Sed circa supradicta Eminentiss. Card. de Lugo de Inst. tom. 1. disp. 6. sect. 4. n. 36. acutè, & doctè doctus, & ait: cum filiatio naturalis fortior multò sit, quam filiatio adoptiua; quo modo seruus per adoptionem eo ipso fiat liber; cum tamen ipsi filij naturales ex propria ancilla suscepti non fiant iure ipso liberi, sed potest sint manere, & de facto maneat serui, nisi patet expressè, vel tacitè libertate donauerit.

3. Sed ad hoc respondet filiationem naturalem potestatem, & legitimam afferentem secum ius ad hereditatem paternam, & ad patris honores, maiorem quidem vim habere, & magis intrinsecam, quam adoptionem, quæ minus intrinsecè filio adoptiui conceptionem; filiationem tamen naturalem illegitimam, seu quæ non tale ius ad hereditatem & alia emolumenta afferat, non habere tantam vim. Ratio autem est, quia filiatio

# De Seruis, seu Mancipiis. Resol. III. &c. 439

filiatio adoptiua esse non potest ex legibus, nisi ad ea iura, & emolumenta, quae haberet si esset verus filius legitimus, alioquin adoptio non erit, cum tota eius essentia consistat in acceptatione ad ea iura; ideo inseparabilis est adoptiua filiatio à libertate, quia seruus manens seruus, non potest esse haeres domini sui: at verò filiatio naturalis potest retinere totam essentiam, quae in aliquo physico consistit, sine acquisitione eorum iurium: non est ergo mirum, quod adoptio habeat maiorem vim ad reddendum liberum, quam filiatio naturalis in genere; quia adoptio includit voluntatem acceptandi ad ea iura, quam voluntatem filiatio naturalis non includit.

## RESOL. XX.

*An serui acquirant libertatem, si à Domino promittatur saltem in conscientia?*

*Et quid de eorum filiis eo tempore promissionis natis?*  
Ex p. 7. tr. 7. Ref. 55. alias 54.

§. 1. **H**æc questio potest sæpius in praxi accidere & ad illam more suo doctè respondet P. Sanchez de Matr. lib. 7. disp. 24. n. 22. vbi ex multis probat promissionem inter dominum & seruum minime valere, quoad obligationem civilem, secus quoad naturalem, vt expresse habetur in l. Si id, quod dominus 64 ff. de conditione indeb. ibi, Si id quod dominus seruo debuit, manu suo soluerit, quamuis existiment ei aliqua teneri actione, repetere non poterit. Vbi Glossa, verb. in conditione, ait obligationem fuisse seruo in seruitute quaesitam. Et Bartol. ibi summat. eam l. sic dominus obligatur seruo naturaliter. Et n. 2. ait obligationem naturalem, cadere in seruum actiue, & passiue. Et Balduz c. cum contingat, n. 30. concl. 2. de iureiur. explicat l. interpositas, in fine. C. de tran. sal. quæ decidit obligationem acquiri seruo de civili, secus de naturali.

2. Et idè post multa Sanchez sic concludit, Ex his ergo constat deberi naturaliter, & in foro conscientiae libertatem ancillæ à domino promissam: at quia tantum est promissio antequam manumittat, non erit libera serua: ac proinde nec filij eo tempore nati: tenebitur tamen ratione damni emergentis ea fidei violatione, donare libertate illos filios. In hoc enim damnum illarum est matri, & proli.

## RESOL. XXI.

*An seruus infidelis, vel hereticus, si conuertatur ad Fidem, acquirat libertatem?*

*Et an, si Dominus infidelis, vel hereticus simul cum seruo conuertatur ad fidem, perdat Dominium serui?*  
Ex part. 7. tract. 7. Ref. 41.

§. 1. **R**espòdeo quòd si infidelis vel hereticus habeat seruum infidelem, & hic conuertatur ad fidem, manet ipso iure liber, licet postea etiam dominus conuertatur ad fidem.

1. Nota quòd si simul cum seruo conuerteretur dominus ad fidem, non perderet dominium serui. Et ita tenet Sanch. in Opusc. tom. 1. lib. 1. c. 1. dub. 5. n. 4. cui adde Trullench. in Decal. tom. 2. l. 7. c. 2. dub. 8. n. 9.

## RESOL. XXII.

*An serui Christianorum, qui in tribunali S. Inquisitionis damnantur tanquam Heretici, remaneant ipso facto liberi?*

*Et aduertitur, quòd acquisita semel à seruis libertate, nunquam ad seruitutem pristinam redire possunt, etiam si eorum Domini ad Fidem conuertantur, & omnia bona illis restituantur.*

*Et obseruatur quòd, si seruus infidelis Dominum apostatantem à Fide, bono zelo inquisitoribus denunciauerit, & si nullibi inueniatur concessa illi libertas, certe illi danda est. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 17.*

§. 1. **N**egatiuam sententiam tenet Ioan. Andreas Francus Dominic. in c. quicumque, §. Illorum de heret. in 6. probatur hæc opinio ex c. cum secundum leges, de heretic. in 6. vbi omnia hereticorum bona ipso iure fisco addicuntur; nam cum nomine bonorum etiam serui contineantur, iuxta legem, Paulus §. ult. ff. de pignorib. videtur inde sequi illorum dominorum seruos, qui de hæresi damnantur, ad fisco spectare, & libertatem non acquirere. Et hanc sententiam seruari in Inquisitione Lusitana testatur Fagundez de Iub. lib. 2. c. 6. n. 13.

2. Sed ipse merito laudat Inquisitionem nostram Castellæ, quæ affirmatiue sententiæ adheret, & illam docet Sanctarellus de Heres. c. 37. dub. 3. Azorius tom. 1. lib. 8. c. 12. q. 7. Valquez in part. 2. disp. 169. c. 2. n. 12. Molina tom. 1. tr. 2. disp. 40. Pegna in direct. part. 3. comment. 168. Suarez de fide, & c. disp. 22. sect. 5. n. 6. Sanch. in summa tom. 1. lib. 2. c. 24. à n. 9. Simancha in Cathol. Instit. tit. 6. l. 1. n. 8. qui addit cum Pegna, quòd si aliquis horum hereticorum post denunciationem sententiæ intra tempus gratiæ conuertatur, eique à Rege omnia illius bona concedantur! nihilominus Christiana illius mancipia donari libertate.

3. Probatur hæc opinio, Primò ex leg. unica, Cod. de Christ. mancip. & ex leg. Deo nobis §. bis autem, Cod. de Episc. & Cleric. ex leg. Manicheos, Cod. de heret. ex c. 1. 2. & ult. de Iudeis, & Saracenis, ex c. mancipia, & c. fraternitatem dist. 54. & aliis iuribus; ad quæ licet respondeant Lusitani apud Fagundez, vbi supra, ipse, vt dixi, & merito, non recedit à nostra sententia n. 43. vbi sic ait. Desidero maiorem pietatem in nostris auctoribus Lusitanis erga libertatem miserorum seruorum, maxime cum hæc libertas cedat in fidei Catholicae fauorem, in quo feliciores, & magis pios puto Doctores Castellanos, qui fauorem magis fidei & libertatis respiciunt, quam augmentum Regij fisci suorum Principum. Præterea deberent animaduertere. Primò, ipsi Doctores Lusitani, nec leges, nec sacros Canones pro prima sententiâ adductos, locutos fuisse cum aliqua restrictione, aut moderatione de illorum tantum hereticorum mancipiis, qui publicè cum suis bonis in sua hæresi vivebant inter Christianos, quales hodie in Germania, & Gallia multi permittuntur; sed locutos fuisse absolute, & vniuersim de Christianis mancipiis hereticorum: & vbi lex non distinguit, nec excipit, nec nos distinguere, aut excipere debemus, maxime quando leges loquuntur generaliter & absolute, vt notat Reinosus, obser. 21. n. 1. & patet ex l. de pretio, ff. de publican. & ex l. 1. §. & generaliter, ff. de legat. præstand. Secundò, deberent etiam animaduertere rationes primæ opinionis, quas ego puto fortiores, facere saltem rem dubiam, & probabilem pro vtraque parte, & in dubiis opinionibus, & pro vtraque parte probabilibus standum est verbis legis, & in fauorem libertatis, & fidei inclinandum. Sic Fagundez.

4. Et nostram sententiam præter Doctores citatos tenet Castrus Palauis tom. 1. tract. 4. disp. 5. punct. 36. n. 18. qui optimè obseruat, quòd si seruus infidelis dominum apostatantem à fide bono zelo inquisitoribus denunciauerit, etsi nullibi inueniatur concessa illi libertas: at certe danda illi est, præcipue si spes subfit facilis ad fidem conuertendum. sic Pegna, & Sanchez supra. Tandem aduerto acquisita semel à seruis libertate.

te, ad seruitutem pristinam nunquam redire: etiam si eorum dominus ad fidem reuertatur: & omnia bona illis restituantur, iuxta *c. vrgentes, de heret.* quia libertas quocumque modo data non reuocatur, l. 1. § 2. *C. aduersus libertatem.*

rant, inuenies apud Machadam *rom. 2. l. 6. part. 7. § 3. docum. 9. per totum.* Fagundez de *inst. lib. 2. cap. 6. Hurtadum de spuar. 1. diffinitat. 22.*

## RESOL. XXIII.

*An serui, qui libertatem Roma in Capitolio acquirunt, illam pro toto Orbe acquirant? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 18.*

§. 1. **A**D hoc dubium sic respondet Eminentissimus Cardinalis de Lugo *de inst. tom. 1. disp. 6. scilicet 4. n. 39.* Comparatur libertas per leges aliquorum locorum prout teste Rebello, in Gallia serui omnes liberi fiunt, ne pauperes indigenae fame premantur non inuenientes dominos, quibus inferuiant, si aliunde serui, & ancillae exterae alportarentur. Similiter extat Bulla Pij V. quae incipit, *Dignum & rationi congruum*, & est 17. inter eius bullas in *tom. 2. Bullar. & alia Bulla Pauli III. quae à Pio V. ibi citatur*, in quibus conceditur, & renouatur facultas Conservatoribus Urbis Romae, vt quoscumque captiuos Christianos iam factos, ad dictos Conservatores pro libertate confugientes, & libertatem proclamantes liberare possint, eosque sic liberos factos pro liberis hominibus, & Romanis Ciuiibus vbique terrarum habendos esse decernitur. Quod priuilegium in vsu est hodie in Vrbe; suspicor tamen quod extra Territorium & dominium temporale Pontificis non habeatur de facto rata illa libertas: sed domini, vbi primam inueniunt seruos suos extra illud Territorium, eos sibi in pristinam seruitutem reuocant ita enim à fide dignis accepi, qui diu in hac Curia versati sunt. Ita Eminentissimus de Lugo.

## RESOL. XXIV.

*De aliis modis, quibus serui acquirant libertatem. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 16.*

§. 1. **P**rimus est per domini manumissionem siue dominus gratis, siue ex pretio, & conuentione seruum manumittat. Secundus est, si dominus, vel alius eo sciente, nec contradicente, vel post factum approbante, infantem seruū exponat, quod idem est, si aegrotum seruum derelinquat, ei que alimenta non prebeat, in quibus casibus non incidit seruus in dominium illius qui eius derelictus, vel expositi curam suscipit. Vide *c. unicuique, de infantibus, & languidis expositis l. 2. §. 3. C. cod. tit. ult. ff. pro derelicto, & l. unica, §. sed scimus. C. de latina libertate tollenda.* Tertius modus est, si à domino Iudeo, vel infideli circumcidatur *ex c. multa §. 4. dist. 8. c. plerique de consecr. dist. 4.* Quartus modus si seruum suum aliquis heredem instituat, vel tutorem filio suo relinquat, nam eo ipso censetur concedere ei libertatem, vt constat *ex lege penulti. in princ. C. de necessariis seruis heredibus instituendis. §. idem quoque iuris, Inst. quibus ex causis manumittere non liceat, & ex princ. Inst. qui testamento tutores dari possunt.* Quintus modus est si vir solutus, & nullo alio impedimento ligatus ancillam etiam solutam, quam possit in vxorem accipere, habuit vt concubinam vsque ad mortem, tunc enim si n. h. de Ancilla, & filius ex ipsa habitus dixit, liberi manet *ex l. ultima, C. communia de manumissionibus.* Ad quod priuilegium duo requiruntur, nempe, quod non dimiserit Ancilla turpem vsum ante mortem, & quod filij nati non sint ex concubitu damnato, sed ex soluto & soluta. Hos, & alios modos quibus serui libertatem acqui-

## RESOL. XXV.

*An expediat, & sit opus piū concedere seruis libertatem? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 35.*

§. 1. **A**D hoc dubium ex Simancha sic respondet Sanchez in *Opusc. tom. 2. lib. 1. cap. 1. dub. 10.* licet iura faueant libertati, ac cum omnes fructus serui hodie stolidi, ac improbi sint, nec pia, nec utilis est, nisi forte serui sint boni, & industria sua facile alimenta quærere possint, aliter enim fiunt otiosi, & fures, ac in carceribus, & fucis vitam finiunt.

2. Et idē Machadus de *Perfetto Confessoria tom. 2. lib. 6. part. 7. l. 13. docum. 9. num. 8.* sic ait. Si la donacion de libertad sea causa pia, y tal que deua yzar de los privilegios de las causas que lo son, no consta por Derecho, por lo qual queda dudoso entre los Doctores. Todos conuenien en que lo es, no absoluamente sino quando la libertad se dexa à esclauos virtuosos, y benemeritos della, que por si pueden facilmente buscar su sustento; pero no quando se dexa à esclauos holgazanes, y viciosos, que no sirven para que den en ociosos, y vengian a parar en la herca. Huille, Cuj adde etiam Trullench, in *Decalognis, tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 5. num. 9.*

## RESOL. XXVI.

*Serui, quibus modis possint se redimere? Ex part. 7. tr. 7. Ref. 44. aliis 43.*

§. 1. **R**espondeo multis modis seruum se posse redimere; Primò ex suo, quando dominus ei concedit aliquid, vt habeat tanquam suum. Secundò, ex aliena pecunia, vt puta, si rogatu ipsius alius seruum redimat, vel si ipse seruus ab aliquo pecuniam donatam accipiat ea conditione, vt redimat, vel adimento sponte sua aliquid relinquat heredi suo, vel legatario libero ea conditione, vt seruum suum Stichum redimat. Cum autem hoc modo seruus redimitur, non datur ei pecunia, sed domino, quo seruus emittitur, vt fiat liber. Quarto modo potest seruus se redimere nummis ab alio acceptis, ea conditione vt eos illi postea restituat manumissus, & liber esse eius. Quintò, in *l. his qui ff. de manumissionibus* sic legitur, siue ex pecunia, quod ad venditorem pertinet, siue ex aduentu luero, siue etiam amicitia, beneficio, vel liberalitate, vel rogante eo, vel repromittente, vel se delegante, vel in te recipiente redemptus sit, credendum est suis nummis eum redemptum. Satis enim est, quod is qui emptio suum nomen accommodauerit, nihil de suo impendit. Sic ibi. Tunc igitur suis nummis dicitur redimi, quando accepit mutuos nummos ab alio, vt se redimat, & manumissus eos restituit ei, qui dedit mutuos, vel illis nummis alius eum redimat, vel vt ipse seruus seipsum redimat. Ita hæc omnia docet Azorius *rom. 2. l. 2. c. 3. §. 1. item 2.*

2. Sed quia si præ probatum est seruos sibi quando acquirere de illis bonis, dicendum est, potest etiam se redimere.

RESOL. XXVII.

An seruis, vel ancilla possit sibi retinere id quod pro iniuria illata, vel ob usum corporis illicitum ei elargitum est? Ex p. 7. tr. 7. Rel. 29.

Sup. hoc in Resol. 31. §. 1. Negatiue respondet Cardinalis de Lugo de Iustitia tom. 1. disp. 3. sect. 3. num. 46. & 47. stando in rigore legum Ciuiliu. Nam si domino acquirit id, quod ex legato, vel donatione ei datur, cur non acquireret domino, quod titulo iniuriae lucratur? Parum enim videtur ad hoc referre, quod d. titulus ille non subordinetur dominonam sicut seruis non subordinatur domino in iure ad famam, neque in iniuria contra illam; sic non subordinatur domino in pulchritudine, vel prudentia, aut aliis naturae dotibus; & tamen si ei aliquid donetur intuitu earum dotium, & perfectionum naturalium, acquiritur domino iuxta leges antiquas; ergo licet donetur, vel solatur intuitu iniuriarum, in qua non subordinatur domino; debet id domino acquiri. Ratio autem a priori est, quia aliud est ius ad famam, aliud est ius quod postea habet ad pecuniam pro infamia acceptam, vt constat in Religioso, qui in iure ad propriam famam non subordinatur Praelato, & tamen si deur ei pecunia pro iniuria contra famam illata, pecunia illa acquiritur Monasterio, & subordinatur Praelato, sicut si ex quolibet alio titulo fuisset acquisita; ius ergo ad illam pecuniam habendam non est illud idem ius, quod habet ad famam; alioquin qui pecuniam hanc ei adferret, peccaret non solum peccato facti, sed etiam contra ius ad famam; per quod ius hanc pecuniam possidet. Fatendum ergo est illam pecuniam, licet in radice oriatur ex iure ad famam; postea vero possideri per ius simile omnino iuri ad reliquas pecunias, atque ideo acquiri domino, cui omnia serui luca acquiruntur vndeunque proueniant.

2. Dices, fama erat in dominio serui: ergo quod subrogatur pro illa tanquam pretium illius, debet esse ipsius serui, & non domini, cuius non erat illa fama. Sed contra, quia vt bona serui sint domini, non requiritur quod dominus habeat ius ad titulum pro quo datur illud pretium, vel illa bona; nam quando legato vel donatione aliquid acquirit seruis, acquiritur etiam domino iuxta leges antiquas ciuiles: & tamen dominus non habebat ius ad titulum propter quem datur illud quod datur, nempe ad beneuolentiam, vel ad beneficium, propter quod donator vult seruo illa bona donare; sicut nec Religio habet ius ad titulum, ob quod aliquid donatur Religioso, & tamen statim acquirit quidquid acquirit Religiosus ex quocumque titulo illud acquirit.

3. Hinc constat quid dicendum sit ad secundum dubium, quod fieri potest de aliis, quae seruis acquirunt ob alios similes titulos v.g. si ob usum corporis illicitum, vel propter alia peccata aliquid acquirunt: quod Sanchez num. 8. Molina & alij dicunt, non acquiri domino, Consequenter tamen de iis omnibus est dicendum acquiri domino iuxta rigorem iuris antiqui, ob rationem supra positam. Quod idem est de iis, quae seruis lucratur, illicitè laborando diebus festis, aut etiam contra praeceptum ipsius domini; quia haec omnia sub illa vniuersalitate comprehenduntur.

4. Sed licet haec omnia probabiliter ab Eminentiſſimo Cardinali de Lugo dicta sint, ego tamen non recedo à communi sententia, quam praeter Lessium, Rebellum, & alios ab ipso citatos, tenet etiam me citato Trullench in Decalogum, tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 5. num. 3. Malderus de Iust. tract. 1. cap. 4.

dub. 6. Fagundez in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 1. 3. num. 3. Vide me etiam citato sic asserit Machadus tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 13. docum. 5. num. 8. Quinta exceptio est, que todo aquello que se le da à la esclaua, por razon del maltrato de su persona es para ella, y no para su señor; porque lo adquiere con el uso de su cuerpo, en lo qual no tiene que ver su señor. Ita ille, cui etiam adde Villalobos in summa tom. 2. tr. 10. disp. 5. n. 4.

5. Et ideo ego olim consului cum Sanchez in Opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 1. num. 8. ancillam non fuisse adstrictam restituere Domino magnam quantitatem pecuniae ab amasio acceptam; quicquid in contrarium asserat Megala in part. 2. lib. 2. cap. 19. quaest. 2. num. 18. qui sententiam Eminentiſſimi de Lugo firmiter tenet.

RESOL. XXVIII.

An seruis possit sibi retinere, quae ludo acquirit? Ex p. 7. tr. 7. Rel. 30.

§. 1. Respondeo quod si seruis cum bonis de quibus potest disponere aliquid ludo acquirat, quod sibi acquirat, & non domino: Et ita docet Hurtadus de Iust. disp. 2. difficult. 18. & Sanchez in Opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 1. num. 11. vbi firmat, quod si seruis bonis suis, quorum seruis est dominus, ludo aut aliqua negotiatione sine vilo prauidicio obsequiorum domini aliquid lucratur; id ipse sibi comparat. Idem docet Emanuel verbo seruis, p. 7. Salas, tr. de ludo, dub. 20. n. 3. Molina de Iust. tom. 1. tr. 2. disp. 38. & Machadus tom. 2. lib. 6. par. 7. tr. 13. docum. 6. n. 1. Fagundez in Praecept. Decal. tom. 2. lib. 7. c. 1. n. 6.

Sup. hoc infra in Resol. 31. §. At verius, ad medium, vers. Quinto.

2. Verum Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de Iust. tom. 1. disp. 3. sect. 3. num. 50. hanc sententiam admittit tantum, si seruis acquirat ludendo modicam quantitatem, secus autem si acquireret ingens lucrum; sed Doctores communiter sine vlla distinctione, vt visum est docent seruum sibi comparare id quod lucratur in ludo, ex bonis de quibus potuit disponere.

RESOL. XXIX.

An serui possint, inscio Domino, aliquid ludere?

Et in textu huius Resolutionis sex casus explanantur pro praxi praedictae questionis, in quibus seruis possit dominium aliquarum rerum habere, & de facto habet.

Etiamque notatur, quod si mancipium ludo intentus priuaret dominum labore, non tenetur restituere nisi tantum pretij, quanti existimaretur ille labor, quo Dominum fraudauit, & nihil aliud. Ex p. 7. tr. 9. Rel. 12.

§. 1. Negatiue videtur respondendum ex Soto de Iust. lib. 4. quaest. 2. art. 2. Lopez in part. 1. cap. 183. & aliis. Sed ego assero, quod licet seruis, seu mancipium regulariter non possit in ludo alienare, seu perdere nisi ex consensu saltem probabiliter praesumpto sui domini, quia regulariter caret bonis; quando vero ea habet, vt contingit, quando aliquid subtraxit ex eis, quae illi dominus ad sui sustentationem confert, & in aliis casibus, potest ea ludo perdere, quia habet dominium eorum, & nullo iure impeditur de eis disponere.

Sup. hoc infra in Resol. 34. §. 1. post medium, vers. El esclauo. & quoad hoc in tom. 5. tr. 7. ex Resol. 16. lege §. Noctandam.

2. Conueniunt enim Doctores seruum posse dominium aliquarum rerum habere, & illud in sex casibus

\* Pro istis sex casibus con-



centis in alio §. Et cum DD. infra in Rel. 31. 6. At verius, & in aliis eius nor. & in Rel. 33. reiciantur in §. 1.

bus de facto habere. Primum si dominus expresse, vel tacite velit, vt seruus aliquid habeat tanquam suum, & de eo pro suo arbitrio disponat, siue illud habeat donatione domini, siue aliter. Secundum, si aliquid seruo donetur, aut legatur ea conditione, aut eo modo, vt nullatenus pertineat ad dominum. Tertium, si aliquid seruo detur in satisfactionem pro iniuria ipsi illata in his quæ non subiacent dominis. Quartum, si bonis suis aliquid ludo, aut negotiatione, aut aliter lucretur absque præiudicio obsequiorum, quæ domino debet. Quintum, si aliquid sibi subtrahat absque præiudicio domini, ex eis quæ poterat liberè conuulere. Sextum, si aliquid ei detur ob opus factum, absque præiudicio domini.

3. Addimus, vt optime Molina *disp.* 38. (quidquid alij dicant) in sex dictis casibus seruum habere dominium verum, & perfectum dictarum rerum, ita vt independentè à domino possit de eis disponere: & dominus non posse absque iniustitia in seruum ei aliquid earum auferre.

4. Iura verò, quibus decernitur, quidquid seruus acquirit domino acquirere, vel intelliguntur de acquisitis, operis domino debitis, vel iam contraria consuetudine esse mitigata. Et hæc omnia docet Hurtadus de *Iust. disp.* 1. *difficul.* 18. & de *contrariis disp.* 8. *difficul.* 8.

5. Notandum est etiam hic cum Dicastillo de *Iustitia lib.* 2. *nr.* 18. *disp.* 5. *di.* 7. *n.* 47. quod si mancipium ludo intentus priuaret dominum proprio labore non teneretur restituere, nisi tantum pretij, quanti æstimaretur ille labor, quo dominum fraudauit, & nihil aliud, quod est valde notandum.

## RESOL. XXX.

An seruus possit sibi retinere ea quæ ipsi relicta sunt in legato, vel testamento? Ex p. 7. tr. 7. Rel. 31.

Sup. hoc in Rel. seq. 5. At verius, *verf.* Secundo & *verf.* Tertio. & in Relol. præterita, cursum & reuertantur in §. Conueniant, *verf.* Secundo, & in tom. 6. tr. 7. Rel. 31.

§. 1. **N**egatiuè respondet Azorius *pari.* 2. *lib.* 2. *cap.* 36. *quæst.* 2. vbi sic ait: Queritur, quid sit dicendum, quando Titius donat, vel legat Stichum seruo Caij, aliquid, ea conditione, vt sit ipsius, non domini, vtrum id seruo acquiratur an domino: Quidam iuniores Theologi dixerunt, acquiri Stichum seruo non Caio domino, quia donatum, vel relictum est à Titio, vt esset serui non domini. Id probant argumento à simili quia si quis donet aliquid filio familias ea conditione, vt sit filij, & pater non habeat in eo vsum fructum, acquiritur filio familias, nec patri acquiritur vsum fructum: ergo seruo acquiritur, quod ei ab aliquo donatur ea conditione, vt sit eius & non domini.

2. Sed mihi in hac re videtur distinguendum. Aut enim Caius dominus consentit, vt Stichus seruus tanquam suum habeat, quod ei datur, ac donatur; & tunc acquiritur seruo, non quidem voluntate Titij, qui donauit, vel legauit: sed consensu ipsius Caij domini: aut in eo Caius non consentit, & tunc inutile est donum, vel legatum, quia vitiosum. Neque enim Titius transfudit dominium in seruum, nec in dominum: non in seruum, quia donauit, vel legauit contemplatione illius, qui tamen capax non erat: non in dominum, quia vetuit Titius ne domino acquireretur, quare sequitur, vt dominium eius, quod est ita seruo donatum, vel legatum, vel penes Titium donatorem manserit, vel penes eius hæredes. Secus est de filio familias, qui secundum leges, & iura potest habere peculium aduentitium, in quo patre eius vsum fructum non habeat, vt si ea conditione ab ex-

traneo aliquid accipiat. Ita Azorius, cui etiam adde Megalam *in pari.* 2. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 12. *num.* 17. qui mordicus contra seruos, negatiuam sententiam tenet, quia quando aliquid relinquitor sub conditione aliqua, quæ contra leges est, talis conditio pro non scripta habetur, & perinde ac si adiecta non esset, ad hæreditas, legatumve capitur, vt habetur *in l. conditio, l. 2. ff. de condit. inst.* Cum igitur prædicta conditio sit contra leges supra citatas, quæ disponunt, vt quicquid seruus acquirat, domino acquirat, pro non scripta habetur, & domino legatum est acquisitum: ad quod etiam facit *l. si quis sub conditione ff. de condit. inst.* Nec obstat exemplum à simili de filio familias: nam si pater ipse disponat, vt tunc filio & non patri vsum fructum acquiratur: vt patet *in auth. excipitur, C. de bonis quæ lib. & dixi supra c. 3. q. 2. verf. Sed post, Sec.* tunc et ita dispositum quoad seruum.

3. Sed ego contrariam sententiam teneo, si bona relinquuntur seruo absolute, & sine conditione, non tamen intuitu domini, vt v.g. obindulgentiam, vel officium exhibitum, vel vt se redimat, &c. Et ita docet Trullench *in Decal.* tom. 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *du.* 4. *n.* 3. *Molina de iust.* tom. 1. *tratt.* 2. *diff.* 38. *Sanchez in epist.* 10. *lib.* 1. *c.* 1. *du.* 2. *n.* 7. *Lessius lib.* 2. *c.* 4. *du.* 3. *n.* 16. & *Rebellius lib.* 1. *q.* 1. *sect.* 2. *n.* 10. in vniuersum approbat saltem pro foro conscientie, quoties non datur intuitu domini, licet donator non exprimat, quod non acquiratur domino, quia iam donator virtutalem saltem intentionem habere videtur, quod acquiratur soli seruo; virtualis autem intentio id importat quod à formalis & expressa.

4. Verum Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo *de iust.* tom. 1. *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 55. & *seq.* licet differat in aliquibus, quoad prædicta, tamen optime docet *n.* 59. quod si seruo potest donari independentè etiam à domini licentia, & ita vt domino non acquiratur, quare quoties aliquis seruo occultè aliquid donat, primum facilius potest, quod habeat talem animam obediendi, & excludendi ius domini: quia eo ipso quod vult occultè donare seruo, & fugit domini notitiam, videtur implicite donare, ita vt seruus non indigeat licentia, vel consensu domini ad vsum illius rei, quæ ad eum vult, quod acquiratur seruo soli, & non domino, cuius notitia, & licentia requiretur, si ipsi domino acquireretur. Ita de Lugo Eminentiſſimus.

5. Vnde ex dictis non est audiendus Azorius, quem nominatim refellit Machad. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. *docum.* 5. *num.* 9. vbi sic ait: [Todo aquello como quæta que sea, que alguno dexa al esclano, o le ha de donacion con expressa, o tacita condicion de que sea para el, y no para el señor, es proprio del esclano, y no del señor. No obstante que Azor la contradize,] Ita ille, cui adde etiam Villalobos *in sum.* tom. 2. *tratt.* 10. *diff.* 5. *n.* 4. & Fagundes *in præcepta Decalog.* tom. 2. *lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 4.

## RESOL. XXXI.

Quidam seruus aliquid sibi subtrahat de necessitate sine Domini incommodo, & præter opera præscripta, ex quibus lucrum colligebat, interrogatum fuit, an de his acquireret dominium sibi, vel Dominus? Quod est querere an seruus possit habere aliquam rem dominium, & de rebus à se acquisitis disponere?

Et an hoc intelligatur non solum de seruis, qui domini nascuntur, sed etiam de seruis emptis & in bello captis?

# De Seruis, seu Mancipiis. Ref. XXVII. & c. 443

Et in corpore huius Resolutionis aliquos casus decisos, invenies, ex quibus servus possit aliquod peculium, habere, vel non habere. Ex p. 2. tr. 17. & Miscel. 3. Ref. 58.

cum Rebellio, magis probabiliter asserendum videtur, in hoc casu servum teneri tantum ad restitutionem damni dati per omissionem operatum debitum, hoc enim putandum est in sua venditione servum intendisse.

## RESOL. XXXII.

An servus sibi acquirat ea, quae parè viiando subtrahit, vel si praeter opera praescripta aliquid faciat? Et an Dominus peccet mortaliter, si tuncque committat in seruos, si talia ab eis auferat? Et ex doctrina huius Resolutionis inferretur etiam decisio eiusdem dubij satis practicabilis de Viatoribus, qui dinerantur in hospitibus, in quibus ob certum pretium comedunt ex cibis appostis, quod vocant APASTO, nam illi etiam subtrahere sibi possunt, & reseruire aliquid ex eis, quae commesturaverant, durante appetitu. Ex parte 7. tractatu 7. Ref. 32.

§. 1. AD hoc dubium respondet Sanch. in Opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 1. n. 13. Nota quod si non deficiendo debito seruitio domini, nec notabiliter vires diminuendo, servus vigilaret tempore, quo somno vacaturus erat, & sic tunc aliquid acquireret, vel parè viiando subtraheret sibi aliquid de cibis, & id venderet, posset sibi retinere.

2. Sed hoc intelligo duplici limitatione, Prima est, ut procedat ex praesumpta domini voluntate: unde si dominus expresse nollet, & vellet sibi illud, teneretur ei dare. Patet, quia nullus damnaret dominum, qui illud auferret à seruo: at dum dominus hoc non exprimit, praesumitur eum velle. Secunda est, quando distincta est certa portio ciborum, id est, quando se da por racion, tunc enim praesumitur dominum velle, ut, quod servus sibi subtrahit, non deficiendo debito seruitio, nec notabiliter vires minuet, sibi acquirat. At quando non destinatur certa portio, id est, no se da por racion, non potest sibi servus retinere, quod ob defectum appetitus relinquitur: Si verò ex eo quod ipse appetebat, & reuera erat manducaturus, aliquid sibi detraheret, non minuendo notabiliter vires, posset sibi retinere. Ita ille, cui cum dictis limitationibus consentit Eminentissimus Cardinalis de Lugo de inst. tom. 1. disputat. 3. sect. 3. num. 66. Sed num. 53. asserit, propter consuetudinem, & praesumptam domini voluntatem posse licite servum ea lucra sibi retinere, quando modica, & communia sunt: quia quoad maiora, & extraordinaria emolumenta, non praesumitur facile talis voluntas in domino, ut dicebamus de luero ex aliis rebus proveniente. Denique voluntas illa praesumpta in domino non est ad usum irrevocabilem, sed ita ut possit ipse dominus, quoties voluerit facultatem illam reuocare, & lucra illa sibi accipere propter rationes proximè adductas Ita Eminentiss. Lugo, qui etiam adducit Turrianum de inst. disput. 34. dub. 2. num. 8. asserentem iuxta rigorem iuris haec omnia domino acquiri, nec servum posse de illis disponere. Et P. Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 36. q. 4. tenet servum si ex his quae sibi dantur ad victum, parsimonia detraherit minimè sibi acquirere.

3. Sed ut verum fatear DD. absolute asserunt, quòd si servus aliquid sibi subtrahat sine domini incommodo quod liberè poterit consumere, vel expendere, aut praeter opera praescripta alia faciat ex quibus quaestum colligit. Et ita docet Lessius l. 2. c. 2. dub. 4. n. 16. Tullench in Dec. tom. 2. l. 7. c. 2. dub. 4. n. 3. Molina de inst. tom. 1. tr. 2. disp. 38. Fagund. in Decal. tom. 2. l. 7. c. 12. n. 7. Navarra de Rest. lib. 3. cap. 1. n. 219. vnde in specie resellit

Sup. hoc in Ref. praeterita §. At verius, prope finem verif. Sextò. & in principio dictae Ref. & infra in Ref. 35. paulo post initium, verif. Quintus.

§. 1. Nouissimè Turrianus in 2. 2. tom. 2. disp. 35. dub. 2. num. 8. asserit servum, & ancillam, si peculiariter vigilando, vel de sibi necessariis aliqua bona lucentur, non posse de illis liberè disponere, & Petrus de Aragon. in 2. 2. q. 6. 2. art. 1. & 2. cum multis aliis absolute docent, seruos ita esse dominorum suorum, ut quicquid acquirant domino acquirant. Probatur ex l. ad vestimentum ff. de peculio, vbi dicitur seruū non esse dominum vestimenti quotidiani, qui ab alio possidetur, nihil possidere potest. Secundum hanc opinionem possunt domini accipere res seruorum, quia, ut diximus, ius omnia serui subiecit potestati dominorum: & ita absolute sustinet hanc sententiam Megala in sum. part. 2. lib. 6. cap. 19. q. 2. n. 15. & ad lucit textū ex l. acquiritur, §. igitur ff. de acquir. rei. dom. vbi habetur, Quod serui nostri ex qualibet causa acquirant, id nobis acquiritur: ipse enim seruus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest, cuiuscumque enim rei possessionem adepti fuerint, id nos possidere vide-mur.

\* At verius, & magis probabiliter dicendum est, seruos posse habere aliquorum rerum dominium imperfectum, & secundum quid, ita ut eas non teneantur suis dominis tradere: casus autem praecipui in quibus possunt aliquod peculium habere, sunt isti, Primò, si dominus expresse, vel tacite cõsentiat aliquas res habere. Secundò, si aliquis det seruo, ea conditione, ut ad dominum suum non perueniat. Tertio, si aliquid detur absolute, & sine cõditione, non tamè intuitu ipsius domini, ut, v. g. propter industriam, vel aliquod seruitium factū: nam in hoc casu ille, qui dat, videtur dare, vel illa res scilicet nō sit domini, sed serui. Quarto, si aliquid detur in compensationem iniuriæ illatae. Quintò, si aliquid lucretur sua pecunia, & ex rebus sibi datis, ut supra: vnde suum facit lucrum acquisitum per ludum licitum, vel illicitum. Sextò, si aliquid sibi subtrahat, abique domini detrimento, quod licite poterat cõsumere, vel expendere. Septimò, quando propter tarpem corporis usum aliquid ei datur. Ita Barthol. à S. Fausto in speculo Confess. disp. 1. q. 19. n. 4. Lessius de inst. lib. 2. cap. 4. dub. 4. n. 13. Rebell. de oblig. iust. part. 1. lib. 1. q. 11. sect. 2. Mald. in 2. 2. tract. 1. cap. 4. dub. 6. Rodriguez in sum. tom. 1. c. 39. concl. 6. n. 8. Navarra de rest. lib. 3. c. 1. dub. 5. n. 221.

3. Nota verò, quòd ista doctrina non solum procedit, ut opinatur Vega in sum. tom. 1. c. 106. n. 4. & 5. cum Lopez in seruis, qui domi nascuntur, sed etiam in seruis emptitiis, & in bello captis.

4. Nota secundò, quòd in dictis casibus serui absolute dominium acquirunt, ita ut sine iniuria dominus non possit eis auferre, & ipsi re eiusmodi fraudati, possint vti compensatione occulta.

5. Ad leges quas pro contraria sententia asserbat Megala, & alij, respondet Sotus l. 4. de inst. q. 2. art. 2. procedere quoad seruos, qui se sponte venderunt, non verò quoad alios seruos. Sed mihi absolute, & sine vlla limitatione cum Maldero, Lessio, Rebellio, & aliis dicendum videtur, illas leges Caesareas legitima consuetudine abrogatas, & mitigatas esse in fauorem omnium seruorum, tanquam miserabilium personarum; passim enim videmus cuiusque generis seruos pecunia se redimere, quòd non pecunia domini, vel aliena, sed propria hoc facere possunt. Ergo, & c.

6. Dices, si seruus, qui se & suas operas vendidit, & tempus quo laborare tenebatur, ludendo, vel alia negotia faciendò expendit, lucrum illud ad quem pertinet. Respondent aliqui ad dominum pertinere. Mihi verò

refellit Turrianum nouissime Machadus de perfest. Confess. tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 13. docum. 5. num. 7. sic asserens. La guerra es aquella cantidad que el esclavo grangea por su cuydado, i trabajo ò por el juego, que como sea sin perjuizio del seruicio que debe a su señor, segun afirman graues Autores, adquiere el dominio en ella; no obstante que Turriano es de contrario parecer. Ita ille.

4. Dicendum est igitur, quod licet serui quidquid acquirant domino acquirant, maxime si in eo acquirendo vires debilitent, tamen id est intelligendum de tempore deputato ad seruitium dominorum: neque enim serui, aut ancille sic possidentur à dominis, vt fundus, prædia, aut iumenta, vt semper domino fructificent, quamobrem dicendum est in foro conscientie sibi id acquirere, quidquid fit de foro externo, modo non fraudent dominos debito seruitio, & vires suas multum debilitent, quod iudicabit prudens Confessarius, & licite posse illos taliter acquisita retinere, & expendere inuitis dominis, & peccare mortaliter dominos, furtumque committere in seruis, si ea ab eis auferant, illis iniucis, quod videtur satis rationabile, & probabile.

Sup. hoc etiam recitantur in Ref. pr. cetera § Nota secundo & magis late in § Vlt. Ref. seq.

5. Ex his inferitur incidenter decisio cuiusdam dubij satis practicabilis de viatoribus videlicet, qui diuersantur in hospitibus, in quibus more Italico, & Gallico ob certum pretium comedunt ex cibis apposis quod volunt, quod dicitur communiter, *A pasto*, Gallici à *regle d'Hoste*, nam illi etiam subtrahere sibi possent & referuare aliquid ex iis, quæ verè comesturi erant durante adhuc appetitu: quoniam hæc etiam apponuntur illis eodem pacto, quo apponuntur seruis, & famulis, vt comedant quod pro sua necessitate voluerint; ergo ex iis, quæ sibi necessaria essent, & attendente necessitate præsentis, erant comesturi, possent referuare; parum enim hospitibus interest, quod ibi, vel alibi illum consumant; de iis verd, quæ ob defectum appetitus non erant comesturi, non possunt per se loquendo, referuare, sicut nec serui, nisi fortè aliquando ob iustam compensationem pretij euidenter multi, quod ab ipsis exigitur. Et ita docet Eminentissimus Cardinal. de Lugo *loc. cit.*

RESOL. XXXIII.

An serui in casibus, in quibus sibi acquirunt, si à Domino spoliuntur, possint facere occultam reparationem? Et in principio huius Resolutionis apponuntur sex casus, in quibus serui acquirunt sibi dominium. Ex par. 7. tit. 7. Ref. 33.

Sup. his sex casibus supra in Ref. 33. §. At verius & in aliis eius not.

§. I. SUppono seruos in his casibus sibi acquirere. Primum, si Dominus expressè vel tacite consentiat vt possit aliquod peculium habere. Secundò; si seruo aliquid donetur, vel legetur ea conditione vt ad dominum non perueniat: tunc enim si dominus usurparet hoc ipso amitteretur. Tertio; si relinquatur seruo absolute, & sine conditione, non tamen inuitu domini, v. g. ob industriam, vel officium exhibitum; hoc enim videtur dari, vt non sit domini, sed tantum serui. Quarto; si ei aliquid detur in compensationem iniuriæ illatæ: compensatio enim fit vt ex ea solatium capiat, loco doloris quem passus est; non vt dominus eius inde ditescat, vnde contra omnem humanitatem esset hoc ei auferre. Quinto; si aliquid lucretur sua pecunia: sicut si filius lucretur peculio castrensi, vel quasi castrensi; lucrum enim subit eandem rationem quam fors, quando quis nomine suo eam exponit. Sextò; si aliquid sibi subtrahat sine domini incom-

modo, quod libere poterat consumere, vel expendere; aut præter opera præscripta quadam alia facere ex quibus quantum colligat.

2. His suppositis, quaro an si Dominus seruis tolleret bona quæ in supradictis casibus sibi acquiruerant, possint vti occultâ compensatione? affirmatur vt respondeo cum Lessio lib. 2. cap. 4. dub. 4. cum ceteris. 17. vbi sic ait. Notandum tamen est multos Doctores res concedere seruis verum, & perfectum dominium in plerisque casibus supra dictis; etique fieri veram iniuriam obligantem ad restitutionem si dominus res ipsas concessas auferat, iura autè, quæ tradunt seruis quicquid acquirunt domino acquirere, intelligenda regulariter. Ita Molina *disp.* 38. Possent etiam addi, ita illa consuetudine esse mitigata: & hoc malim in præteritum. Itaque possent seruis vti occultâ compensatione, si dominus ei res suas abstulisset. Ita ille: cui adde Villabos in *summa tom. 2. tract. 10. difficult. 5. n. 4.* vbi enumeratis casibus superius in quibus serui sibi acquirunt, sic ait. *De lo qual se infiere, que si el seruo se tomasse algo de lo dicho, esstaria obligado a restituirlo, y en caso que no pudiesse el esclavo auerlo de otra manera, podria vsar de recompensacion oculta.*

RESOL. XXXIV.

An serui possint facere elemosynam? Et in texu huius Resolutionis reperiet aliquos casus, in quibus, & de quibus serui possint facere elemosynam. Et an si serui habent aliqua bona propria, possint de eis donationem facere? Ex par. 7. tit. 7. Ref. 34.

§. I. REspondeo non posse facere elemosynam de bonis dominorum. Ratio est quia non habent administrationem vllam bonorum dominorum. Excipiuntur tamen quinque casus. Primus, si in extrema necessitas, ob rationem allatam præcedentibus *quest.* Secundus, si detur modicum quid, & tunc præsumitur enim probabiliter consensus Domini. Tertius, quotiescumque adit eiusdem consensus, si tunc interpretatus. Quartus, quando probabiliter speratur rati habitio, quæ tunc maxime est, quando haberet seruos administrationem bonorum. Quintus, quando de certa portione sibi assignata ad victum extraheret aliquid per abstinentiam, modo id non reddat in præiudicium Domini, si nimirum per hoc redderetur inhabilis ad seruitia. Et hæc omnia docet Filiucius *tom. 2. tract. 28. cap. 1. num. 95.* Qui addit etiam in bonis acquisitis in casibus appellatis in superiori *R. so.* vtone posse seruos facere elemosynam, & quicquid voluerint. Vnde me cito sic ait Machadus *tom. 2. lib. 6. p. 7. tract. 13. docum. 6. num. 1.* *El Esclavo puede libremente dar limosna, pagando los bienes en que el tuuiere dominio, de que antes hemos ya hecho mencion; conuene a saber, de los que huuiere aborrado de sus jornales; de lo que huuiere aborrado de lo que el señor le da para su sustento, &c. finalmente de todo aquello que el seruo suyo. De donde resulta, que de la misma manera que el esclavo no peca en dar limosna, paga, e gastar de estos bienes, que son suyos; tampoco la persona que los recibiere; ó se los ganare, peca, ni queda con obligacion de restituir cosa alguna al señor.*

2. Vnde Filiucius *tom. 2. tract. 34. cap. 2. num. 46.* asseruit seruos, si habeat aliqua bona propria, posse de eis donationem facere. De aliis non possunt talia volumine præsumpta rationabiliter dominorum.

# De Seruis, seu Mancipiis. Ref XXXV. &c. 445

si fecus faciant, peccant, & tenentur ad restitutionem. Qui etiam si accepissent scienter, tenentur restituere: Si verò bona fide accepissent, siquidem rem illam habeant apud se, tenentur reddere: si ex ea facti sunt ditiores, id reddant in quo locupletiores facti sunt. Denique si rem non habeant, nec facti ditiores sunt, ad nihil tenentur. Et ita etiam docet Molina *disput. 277.*

## RESOL. XXXV.

An serui possint facere elemosinas?  
Et an serui possint habere aliquarum rerum dominium, imperfectum? Ex p. 5. tr. 8. Ref. 26.

§. 1. **I**N aliquibus casibus affirmatiue respondeo cum Filliucio *tom. 2. tr. 28. cap. 3. n. 95.* Primus, si sit extrema necessitas. Secundus, si detur modicum quid, & raro, praesumitur enim probabiliter consensus domini. Tertius, quotiescumque addit eiusdem consensus saltem interpretatiuus. Quartus quando probabiliter speratur rati habitio, quae tunc maxime est, quando haberet seruus administrationem bonorum. Quintus, quando de certa portione sibi assignata ad victum detraheretur aliquid per abstinentiam, modo id non cedat in prauiudicium domini, si nimirum per hoc redderetur inhabilis ad seruitutem. Sed quia ego latius probabiliter firmavi in *2. part. tr. 3. miscell. ref. 58.* seruos posse habere aliquarum rerum dominium imperfectum, & secundum quid, ita vt eas non teneantur suis dominis tradere, igitur in illis casibus certum est seruos posse praebere elemosinas. Primus casus est, si aliquis det seruo ea conditione vt res donata ad dominum non perueniat. Secundus, si aliquid detur absolute & sine conditione, non tamen intuitu ipsius domini, vt v. g. propter industriam, vel aliquod seruitium factum, nam in hoc casu ille qui dat, videtur dare, vt illa res scilicet non sint domini, sed serui. Tertius, si aliquid detur in compensationem iniuriae illatae. Quartus, si aliquid lucretur sua pecunia, & ex rebus sibi datis, vt *supra & infra* vnde suum facit lucrum acquisitum per ludum, licitum, vel illicitum. Quintus, quando propter turpem corporis vsu aliquid ei datur. Cum igitur in his casibus seruus acquirat dominium rerum, potest de illis elemosinam facere praeter alios casus à Filliucio supra notatos.

## RESOL. XXXVI.

An qui seruum alienum percutiendo inutilem reddit, vel occidit, teneatur restituere aliquid non solum Domino, sed seruo? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 20.

§. 1. **E**X Abulensi affirmatiue respondet Molina *de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 38.* vbi sic ait. Merito Abulensis adnotauit, eum qui alienum seruum occidit, aut ita percudit, vt illum in potiore ad seruiendum, minorilve valoris reddat, ad binam restitutionem teneri. Vnam domino serui faciendam, quatenus id in damnum illius cessit, alteram verò seruo pro damno illi illato. Simul etiam puniti debet per publicas potestates poena aliqua, quae in compensationem pro iniuria seruo illata cedat. Hinc constat, minus peccare eum, qui seruum proprium, quam qui alienum iniuste percudit: eò quod ille vni tantum, hic verò duobus damnum, ac iniuriam inferat.

2. Sed hanc doctrinam Molinae Eminentissimus Cardinalis Lugo *de iust. tom. 1. disp. 3. sect. 1. n. 20.* cum limitatione accipit; nam si seruo sequatur ex iniuria

damnum aliud circa victum, vestitum, aut caetera necessaria ad vitam humanam restituendum erit illi, ne id damnum patiat, quod idem erit, quando vxor, parentes, vel filij eius ea de causa passuri essent. Quando verò eiusmodi damna non sequerentur, sufficeret restituere domino, quia supponimus, quod pro damnis corporis praecise non est obligatio restituendi in bonis alterius generis.

Verum sententiae Molinae adhaeret Fagundez *de iust. lib. 2. cap. 5. num. 4.* Habet igitur vtraque sententia Defensores.

## RESOL. XXXVII.

An qui occidit seruum suum, teneatur aliquid hereditibus serui restituere?  
Et de aliquibus aliis casibus agitur in quibus Dominus lethaliter peccat, si iniuria illata seruis suis à se notabilis sit. &c. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 45. alias 44.

§. 1. **D**iximus supra, de restitutione faciendi propter occisionem serui alieni; nunc ad dubium propositum assero negatiue respondere Azorium *tom. 2. lib. 2. cap. 38. quaest. 2.* vbi sic ait. Queritur an si dominus seruum suum occiderit, debeat aliquid restituere? Quidam arbitrantur debere eum restituere serui hereditibus; quia dominus qui seruum suum necat, verè homicida est, at homicida restituere vitam alteri adeptam iure debet eo modo quo potest. Cum igitur dominus suo seruo interfecto vitam reddere nequeat, debet aliquid ipsius serui hereditibus restituere. Sed certè non video quo iure hereditibus quicquam restituere cogatur. Fateor quidem eum verè, & proprie homicidam esse, qui suum seruum occiderit, & iniustitiae crimen admittit: quia eripit alteri vitam, & vt superius diximus, dominus vitae, & necis imperium, & potestatem non habet in seruum, & quod attinet ad ius naturae, & gentium, omnes homines sunt liberi. Cum igitur seruo occiso vita reddi non possit, nec aliquid aliud quo vita compensetur, sequitur vt nulli alteri dominus quicquam debeat; eo quod vita, opera, & industria serui non erant alicuius, sed ipsius serui, & domini. Neque verò dominus suo seruo interfecto, aliis damnum intulit, sed sibi soli, qui se serui commodis, operis, & fructibus priuauit. Nec seruus cum bonis careat, vllam habet alii hereditatem; nam etiam si filios haberet cum est in seruitutem abductus; illi continuo sui iuris sunt facti, & bona quae ante seruitutem Pater habebat, in eorum dominium transferunt, non tamen ipsius Patris vita, aut libertas; quare ipsius nullam aliam iure naturali legitimam portionem debet. Ita Azorius, cui adde Filliucium *tom. 2. tr. 28. part. 2. cap. 4. num. 71.*

2. Sed affirmatiue sententiam tenet Fagundez *de iust. lib. 2. c. 5. n. 4.* vbi sic ait: Quod si dominus seruum interfecerit, punitur tanquam homicida, & praeterea tenebitur a bitrio prudens viri pretij iniuriae infumere, in suffragiis pro illius anima, si non habeat filios, quibus fiat restitutio.

3. Hanc etiam sententiam tenet Molina *de iust. tom. 1. tract. 2. disputat. 38. num. 3.* Sic asserens; Licet ius dominorum in seruos tam late pateat; non tamen se extendit ad eorum vitam, cuius dominium sibi soli Deus seruauit, atque adeo neque ad membra, & salutem mancipij, quae quasi partes quaedam vitae illius sunt, à quibus vita ipsa pendet; & multò minus se extendit ad salutem illius spirituales, quasi aliquid praecipere ei, aut ab eo exigere possint, quod cum spirituali illius salute pugnet. Quare, si eorum domini,

Supra in Ref. quae hic est antecedens,

Superius in Ref. quae hic est in §. vlt. per totum, & infra in Ref. seq. §. vlt. ad fin. 4.

Sup. contento in hoc §. ad litteram in Ref. seq. §. 1

P p vel

vel vitam, vel membrum ab eis eripiant, vel immoderatis laboribus, inedia, nuditate, vel iniusto supplicio, aut aliqua alia ratione indebita, & quæ vim coercitiuam dominorum in seruos excedat, valetudini, aut corpori eorum noceat, vel aliquid, quod contra eorum spirituales sit salutem illis præcipiant, aut quocumque alio modo iniuria eos afficiant, sanè, & lethaliter peccant, si iniuria, attenta qualitate personæ, & circumstantiis concurrentibus, notabilis sit, & ad restitutionem damnorum ipsismet mancipiis, aut heredibus eorum faciendam, tenentur; puniriq; debent à potestatibus publicis, non solum pro damnis iniuste eis illatis, sed etiam pro iniuriis, quæ damni rationem non habuerint, èstque illis à Confessariis iniungenda pro eiusmodi iniuriis debita satisfactio mancipiis facienda, quando per potestates publicas iniuria punita non fuerit, ne miseri homines omni subsidio careant in damnis, & iniuriis, quibus à dominis iniuste afficiuntur. Porro tantum potest esse aliquando damnum, ac iniuria, vt non minùs, quàm libertate, compensetur. hæc Molina; vnde vtramque sententiam probabilem esse puto.

## RESOL. XXXVIII.

*An seruo ita possit à Domino inferri iniuria, vt ad se obligatio restituendi, vt v. g. quando Domini iura seruorum violant, per iniuriam notabilem, in quo casu non solum peccant mortaliter, sed etiam ad restitutionem tenentur?*  
Et aliqua alia explanantur, quæ in supra dicto casu fieri debent. Ex p. 7. tr. 7. Rel. 19.

Sup. conten-  
to in hoc §.  
ad litteram  
in §. vii. Rel.  
p. 19. et 20.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Molina de Iust. tom. 1. tract. 2. disp. 38. vbi sic ait: Licet ius dominorum in seruos tam latè pateat: non tamen se extendit ad eorum vitam, cuius dominium sibi soli Deus reseruat; atque adeo neque ad membra, & salutem mancipij, quæ quasi partes quædam vitæ illius sunt, quibus vita ipsa pendet: & multò minus se extendit ad salutem illius spirituales, quasi aliquid præcipere ei, aut ab eo exigere possint quod cum spirituali illius salute pugnet. Quare si eorum domini, vel vitam, vel membrum ab eis eripiant, vel immoderatis laboribus, inedia, nuditate, vel iniusto supplicio, aut aliqua ratione indebita, & quæ vim coercitiuam dominorum in seruos excedat, valetudini, aut corpori eorum noceat, vel aliquid, quod contra eorum spirituales sit salutem illis præcipiant, aut quocumque alio modo iniuria eos afficiant, sanè, & lethaliter peccant, si iniuria, attenta qualitate personæ, & circumstantiis concurrentibus notabilis sit, & ad restitutionem damnorum ipsismet mancipiis, aut heredibus eorum faciendam tenentur; puniriq; debent à potestatibus publicis, non solum pro damnis iniuste eis illatis, sed etiam pro iniuriis, quæ damni rationem non habuerint, èstque illis à Confessariis iniungenda pro eiusmodi iniuriis debita satisfactio mancipiis facienda, quando per potestates publicas iniuria punita non fuerit, ne miseri homines omni subsidio careant in damnis, & iniuriis quibus à domino iniuste afficiuntur. Porro tantum potest esse aliquando damnum, ac iniuria, vt non minùs, quàm libertate compensetur. Ita Molina, cui adde Rebelleum part. 1. lib. 1. §. 1. sect. 1. n. 3. vbi exemplum ponit, si dominus deliberatè, \* luscum, mancum, vel claudum redderet seruum.

\* Sup. l. 1. in Ref. leg.

2. Sed Eminentissimus Cardinalis Lugo de Iust. tom. 1. disp. 3. sect. 2. num. 19. obferat; hoc vltimum difficultate non carere; quia secundum proba-

biliorum sententiam non est obligatio restituendi in bonis alterius generis pro damno illato in alio eorum genere, v. g. in pecuniis pro fama, & licet libertas, & membra pertinere videantur ad bonaculdem generis; re tamen vera vnum non est æquiualetem alteri nam libertas non conducit ad recuperandum oculum, vel pedem, quare non videtur magis restitui per concessam libertatem, quàm fama data pecunia. Ita Eminentissimus Lugo.

3. Verùm opinionem Molinæ tenet etiam Fagundes de Iust. tom. 2. lib. 2. cap. 5. num. 4. allegando quòd quando domini iura seruorum violant per iniuriam notabilem, non solum peccant mortaliter, sed etiam ad restitutionem tenentur, iuxta iniuriam, aut damni momentum & nocumentum. Leuiiores tamen iniurias poterunt domini seruis suis relaxare, remittendo aliquid illis de consueto labore, aut communito supplicio, vel liberalius eos tractando quòd vultum & vestitum. Si tamen iniuria sit atrox, interitum non relaxaretur, nisi manu missione. Sane Exord. 21. Si dominus ita percuteret serui oculum, vt redderet eum luscum, imò si excuteret ei dentes subbuta, ut eum libere dimittere, quæ leges, licet modo non obligent, probant tamen tantam esse posse dominorum in seruum iniuriam, vt non nisi libertate compensetur seruo verò oppresso admittitur apud Iudicem denunciatio aduersus dominum, vt docet Panor. ad cap. nouit. de iudic. num. 47. & alij, & Iudex debet dominum cogere, vt ei satisfaciatur, & in pœnitentiis cum eo agat; si verò dominus seruo admonitus non se corrigat, potest Iudex, eo iniusto luscum vendere, & pretium ipsi domino reddere num. §. vltimum, Infir. de iis, quæ sunt; in hoc enim iustitia serui ad dominum, vt ait Aristoteles 1. 2. Ethic. cap. 11.

4. Et hæc sententiam tenet etiam Villalobos in summa tom. 2. tract. 10. difficult. 5. num. 2. sic ait. *Anteque es tan grande el dominio de los señores para con sus seruos, no se estendiendo a que sean miembros de su salud espiritual. T assi, si los matassen, estarian obligados à restituirlas à sus herederos, y si les conuiesse algun miembro, les hiziesen algun daño notable en su salud, estarian obligados à restituirlas a ellos; y tanto podria ser el daño, è iniuria, que no se pudiesse satisfacer menos, que con darle libertad. Mas los daños menores se auan de compenlar, por donandoles algo del trabajo que deuan hazer, ó mandandolos mejor en la comida, y vestido. T en esta de cargar la mano los Confessores, como dice Molina, quando los juezes no los obligan a ello, en favor de la miseria de estos pobres hombres. Ita Villalobos.*

## RESOL. XXXIX.

*An qui mutilauit membrum serui sui, tenetur ad illam restitutionem?* Ex part. 7. tract. 7. Rel. 46. alias 45.

§. 1. **D**E hac quæstione supra aliquid dictum est; & aliqui negant, aliqui affirmant, vt vnde Machadus tom. 2. lib. 6. par. 7. num. 19. docum. 2. numer. 8. sic ait. *Disputan los Doctores, si el señor que iniustamente cortò algun miembro à su esclauo este obligado à hazerle alguna restitucion, si esclauo este obligado à hazerle alguna restitucion quando el señor deue hazerle alguna restitucion equivalente. El Padre Azor segunendo à otro, dice, que es obligado darle libertad, è satisfacerle por otro miembro equivalente.*

# De Seruis, seu Mancipiis. Resol. XL. &c. 447

equivalente al daño; porque qualquiera miembro del cuerpo es mas amable, i precioso, que la libertad. Ita ille.

2. Sed Trullench. in tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 7. num. 7. & Filiucius tom. 2. tract. 28. part. 2. cap. 4. num. 72. absolute negatiuam sententiam tenet; sic enim ait. Quamuis Dominus non sit dominus membrorum serui, sicuti neque vitæ, sed tantum operum, & obsequij à seruo præstandi per totam vitam; tamen sicut pro bono vitæ nihil est restituendum; sed tantum pro damno illato familiae, vel hæredibus ex priuatione illius, qui is vtilis & lucrosus erat; ita pro bono integritatis corporis nihil est restituendum vt sic, sed tantum pro damno operum, & priuatione lucri ex amputatione membri consequente: Hoc autem damnum, quia spectat ad dominum, non erit ipsimet seruo restituendum. Superest ergo, vt ad nihil teneatur. Azor tamen probabiliorē censet primam sententiam, & consequenter obligari dominum ad dimittendum seruum liberum; eius tamen ratio non admodum vrget. Licet enim corporis membrum sit pretiosius libertate, vt sic tamen æstimabile non est. Quod si æstimaretur ratione vtilitatis & fructus ex illo; iam eius ipse Dominus habet dominium; ideoque nil superest quod restituat. Ita Filiucius: Ego verò amplector vtramque sententiam tanquam probabilem.

## RESOL. XL.

An licitum sit in pœnam delicti alicuius adurere mancipia guttis accensis adipis, vel ceræ? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 28.

§. 1. Certum est posse dominos punire seruos non autem pœna atroci; pœna verò atrox in proposito præter mortem, de qua non est dubium, esset mutilationis, vulneris, flagellorum publicorum per vias publicas, aut in alio loco publico, & alia similes. Item pœna atrox esset tam grauius verbera, percussiones, adulationes, aut familia alia, quæ filium, aut seruum exponeret vitæ periculo, aut notabilis diminutionis illius, vel periculo amissionis membri, aut partis illius. Procedere ergo potest Pater aut dominus in puniendo filio, vel mancipio, ad verbera, & ictus ex quibus non imminet detrimentum notabile, aut læsio, etiam si verberibus, aut alia percussione, excoerietur aliquid; modò tamen delictum tanta pœna sit dignum.

2. Vtrum autem licitum sit adurere mancipia, adipem, aut ceram accensis vt ab aliquibus dominis fieri consuevit. Non audeo id damnare, quando moderatè fieret, & sine periculo vitæ, aut notabilis læsionis mancipij, & quando delictum esset tanta pœna dignum, aut mancipium adedè esset durum ac in corrigibile, vt necessaria illi iudicaretur tanta pœna, vt corrigetur, & contineretur in officio. Semper tamen consulendum est dominis, vt potius vtantur pœnis mitioribus. Et hæc omnia docet Molina tom. 4. tract. 3. disput. 2. num. 14. cui nouissimè adhaeret Machadus tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 12. docum. 2. num. 2. vbi sic ait. Los Doctores disputan si sea licito al señor pringar a su esclauo; y aunque es assi, que parece crueldad grande, è inhumanidad: con todo esto el Padre Molina no lo condena, con tal que se haga con moderacion, y sin peligro notable de la vida, o salud del esclauo; y quando su delicto, incorregibilidad, y contumacia merecieren tal genero de castigo. Si bien el mismo aconseja que los señores usen de castigos menos rigorosos con sus esclauos, acordandose que son tambien hijos de Dios, y redi-

Tom. VII.

midos con la sangre preciosa de Iesu Christo nuestro señor. Ita ille.

## RESOL. XLI.

An serui possint signari à Dominis in facie? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 22.

§. 1. Negatiuè respondet Ioannes de Hevia Curia Philippica tom. 2. lib. 1. cap. 7. num. 3. Sed affirmatiuam sententiam docet Molina tom. 4. tract. 3. disput. 2. num. 14. vbi sic ait. Vtrum sit licitum signare mancipia in facie. Affirmanter est respondendum, esto nulla illorum antecedit culpa, quando periculum est amissionis illorum, nisi ita signentur: ed quòd eiusmodi sint, de quibus nullus præsumet ea esse mancipia; aut quando fugitiua sunt, atque in pœnam, & vt coëreantur à fuga, meliusque inueniantur, ratio ipsa postulat, vt signentur. Et hanc sententiam communem esse testatur Machadus tom. 2. lib. 6. part. 7. tractatu 12. docum. 2. num. 4.

## RESOL. XLII.

An Domini vocando seruos Christianos, Canes vel si grauius eos verberent ex leui culpa peccent mortaliter?

Et an peccent Domini, si sint notabiliter negligentes in corrigendis seruorum peccatis, in procurandis iis, quæ sunt necessaria ad salutem seruorum, vt susceptio Sacramentorum, auditio Missæ, &c. vel si iubeant aliqua, quæ serui facere non possunt sine peccato, aut si eos onerant laboribus intolerabilibus? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 48. alias 47.

§. 1. Videtur affirmatiuè respondendum ex Trullench. in Decalog. to. 1. lib. 4. c. 1. sub. 6. n. 2. vbi sic ait. Hinc sequitur posse grauius peccare dominos, præcipuè in iis. Primò si sint notabiliter negligentes in procurandis iis, quæ sunt necessaria ad salutem seruorum; vt est susceptio sacramentorum suo tempore, Missæ auditio, & alia huiusmodi. \* Secundo, si sint negligentes in corrigendis eorum peccatis. Tertiò, si iubeant aliqua, quæ serui facere non possunt sine peccato mortali. Quartò, cum eos onerant laboribus intolerabilibus. Quintò, cum eos afficiunt contumeliis, vt vocando seruos Christianos, canes. Sextò, si grauius verberent, ex leui culpa. Ita ille, in quibus casibus Domini videntur peccare. Ergo, &c. sed communiter dominos, vocando seruos Christianos canes, puto excusari à peccato, quia ex ira, & ex indeliberatione talem solent proferre iniuriam.

\* Sup. hoc supra in tr. 4. Ref. 32. & in alio §. eius primæ not.

## RESOL. XLIII.

An Domini propter nimiam sauitiam cogendi sint seruos vendere? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 65. alias 64.

§. 1. Respondeo affirmatiuè cum Menochio de Arbitr. cent. 2. cas. 138. ex l. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris. §. Sed & maior, in qua asseritur, quod dominus seruos vendere cogatur, si in eos nimium sauerit, sicut cogitur Pater emancipare filium, quæ acerbius quàm pro paterna pietate tractari l. vlt. si à pat. quis man. fuer. Gloss. in §. vlt. l. quibus ius par. por. solus. Item ob sauitiam serui licet etiam ante tempus à societate recedere, l. si conuenerit ff. Pro socio Item Vassallus nimium sauiendo in subditos ius feudi amittit. Cyn. & Bald. in dict. lib. 2. Alexand.

Sup. hoc in tom. 9. tr. 1. ex doctrina Ref. 69. §. 1. post medium, lege à vers. Quod si Dominius

in bene à Zenone. Cod. de quadr. praeser. qua de re alias dictum. Aestimatio autem cuiusq; leuitate arbitrio iudicis permittenda est.

## RESOL. XLIV.

An licite Dominus aliquando possit alimenta seruis de-  
negare? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 47. alias 46.

§. 1. **A**liqui opinantur id posse facere ob certa quaedam crimina, & scelera serui; vt si sit ingratus vel contumeliosus in dominum, vel si mali aliquid fecerit, ob quod mortis poenam mereatur. Sed verius est, quod alij tradiderunt: si Serui crimen est vltimo supplicio dignum ad magistratus, ac iudices iure deferunt: si alterius poenae sit reus, priuatum à domino iure punitur; nunquam tamen alimenta, quae sunt necessaria simpliciter vitae subsidia, dominus potest iure denegare, quamuis ea ex parte minueret: ita vt seruus non media absumatur, sed attenuato, & diminuto victu castigetur, vt sic forte ad saniores mentem, melioremque vitam redeat. Et ita docet Filiucius tom. 2. tract. 28. part. 2. cap. 4. & Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 38. quest. 9. & Trullench. in Decalogum tom. 1. l. 4. cap. 1. dub. 6. num. 5.

2. Vnde non sunt damnandi, qui propter aliqua delicta licet leuiora detrahunt seruis, Parte dellaratione, vt vulgo dicitur.

## RESOL. XLV.

An serui, & ancilla peccent, si cibos communes ex domo heri ad comedendum accipiant, vt furta esculentorum, & poculentorum, etiam si sensim perueniant ad notabilem quantitatem, vt ipsimet consumant, secus vero vt vendant?

Et si furta sint praeter esculenta, an serui, siue mancipia peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 28.

Sup. hoc su-  
pra inter 3.  
Ref. 4. §. Di-  
co quarto.

§. 1. **A**D hoc dubium sic respondet Sanchez in *Opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 2. num. 17.* Ex dictis sit seruos, vel raro peccare mortaliter, si accipiant, vt edant cibaria communia ex domo heritorum, quia dominus non est inuitus, tum, etiam quia illi ex ordinario cibo, sumptum excipiunt, minus enim hora consueta comedunt. Sic Nauarra, n. 221. & refert Nauarra, cap. 17. *Hispan. num. 139. Latina noua num. 138.* Sed Nauarra non ita absolute loquitur, vt Nauarra, sed dicit non peccare mortaliter, sed venialiter, quando credunt illa dominum concessurum esse si ab eo peterent, licet nollet, vt se in scio accipiant quia tunc est tantum furtum, quo ad modum. Vnde quando famulis tribuitur certa, ac determinata portio, id est, *se les da racion*, cum credatur dominum nolle eos aliquid furari, nec ob hoc excipiatur ex alia parte, id quod illis daturus erat ad manducandum, censendum est de his furtis ac si fieret ab iis qui non sunt famuli; nisi essent tam modica, vt credatur dominum velle; similiter quando minime crederetur dominum velle, etiam illis non detur cibis sub certa quantitate, & portione; si tamen ipsis cibaria congruentia impertiantur, nec ob ea, quae furantur, aliquid excipiunt ex consueto cibo, iudicandum est similiter, ac si talia furta fierent ab iis, qui non sunt famuli, nisi, vt dixi essent tam modica, vt rationabiliter deberet dominus velle. Hucvique Sanchez.

2. Et ideo Eminentissimus Cardinalis Lugo de *Iust. tom. 1. disput. 3. sect. 3. numer. 66.* putat letuos in tali casu non peccare mortaliter, quando furta essent admodum modica, vt non credatur dominus rationabiliter inuitus, secus quando non ideo dominus minus expenderet in cibo ordinario famuli, nec essent ita modica, vt non praesumeretur grauius inuitus.

3. Dico igitur furta esculentorum, & poculentorum quae committuntur à famulis, & ancillis, etiam si sensim perueniant ad notabilem quantitatem, non esse peccata mortalia, si fuerint ea, vt ipsimet consumant (secus vero si vt vendant) si sint quae ordinaria, quae non solent accurate concludi, de quo vide Nauarra cap. 17. numer. 138. Ratio est; quia dominus non omnino displicet, vt haec capitur; cuius signum est, quod etsi sciant ista pallium fieri, tamen non impediunt; etsi rogentur, facile concederent. Vnde potius displicet modus accipiendi quam ipsa acceptio, seu consumptio, atque non est peccatum mortiferum accipere aliquid occulte ab eo cui non displiceret acceptio, si res ab eo peteretur, quantum modus accipiendi displicet, vt recte docet Caietan. in *summa V. Fortun. & in Nauarra. cap. 17. numer. 138. & comment. 2. Regular. numer. 20.* quia dominus non est inuitus circa substantiam accipiendi, sed solum circa modum, quod valde notandum, ob furta filiorum, vxorum, famulorum, amicorum, & similibus, qui per verecundiam, vel timorem non audent petere.

4. Si tamen surripias ad eum vsum, ad quem ille nullo modo voluisset concedere, vt ad compositiones, ludos &c. erit verum furtum; quia non vult rem esse tuam ad talem vsum; & ita acceptio secundum substantiam censetur fieri inuito domino id enim maxime est vsu, & sine, ad quem res accipitur, spectandum est.

5. Sed circa praesentem quaestionem ne detras videre Fagundez in *tract. Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 12. Machadum, tom. 2. lib. 6. part. 7. tract. 11. document. 2. numer. 3. & sequ. & Galparum Hurtadum de Iust. & iure disput. 13. difficult. 9.* qui tamen, & optime obierunt, quod si furta sint praeter esculenta, seruos, siue mancipia peccaret mortaliter accipiendo bona dominorum illorum; & sic peccando, teneri sub mortali ad restitutionem illorum.

6. Circa quantitatem ergo requisitam, & sufficientem ad peccatum mortale, existimamus, cum requiri & sufficere, quae ad peccatum mortale in furto facto ab extraneo, quia quod ad hoc non est aliqua peculiaris ratio pro seruis in furtis ex bonis domini, qualis reperitur pro filio ex bonis Patris, & pro vxore ex bonis mariti.

## RESOL. XLVI.

An serui in casu aequalis necessitatis possint alimenta potius sibi, quam Dominis ministrare?

Et quid est dicendum, si daretur casus, in quo salus & vita Domini esset Christiano populo, vel alicui Reipublicae necessaria, & salus, & vita serui minuetur? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 67. alias 66.

§. 1. **N**egatiue respondet Nauarra in *Man. cap. 17. num. 60.* quia quando creditor, & debitor eadem extrema necessitate premuntur, debitor non habens aliud quam id quod ad suam suorumque vitam

# De Seruis, seu Mancipiis. Ref. XLVII. &c. 449

vitam est necessarium; restituere, non tenetur, nisi dominium eius quod restituendum est, semper penes creditorem remaneat: sed in hoc casu seruis, & dominus aequali extrema necessitate premuntur, & dominium eorum, quae seruis possidet, & quibus vel sibi, vel domino alimenta ministrare potest; semper penes dominum remansit; nam seruis domini capax non est, cum pro mortuo habeatur l. *seruientem ff. de regul. iur. l. intercedit, ff. de condit. & demonst. cum aliis concordantibus; & nulla in eius personam cadit obligatio, neque actiua, neque passiuu l. in personam ff. eod. l. serui ff. de actioib. & obligat. l. nec seruis, ff. de pecul. ergo in aequali casu necessitatis potius domino, quam sibi seruis alimenta ministrare tenetur.*

2. Sed his non obstantibus affirmatiuae sententiae ego adhaereo. Dico igitur in casu praedictae aequalis necessitatis, posse seruum tuta conscientia potius sibi ipsi, quam domino alimenta ministrare. Et proba duobus medijs; Primum quia, etsi per seruitutem amittantur ea, quae a civili iure vnicuique conueniunt, ea tamen, quae a naturali iure cuique competunt, retinentur; sed conseruatio propriae vitae naturali iure ita cuique competit, vt licite quisque possit pro illius conseruatione alterum occidere, si aliter euadere non possit; ergo seruis, in aequali extrema necessitate casu cum domino constitutus, licite potest, domino postposito, sibi alimenta ministrare licet dominus eius fame sit periturus.

3. Secundò, quia regulariter secundum ordinem charitatis, plus diligenda est propria salus corporalis, quam corporalis salus proximi; nam, cum concurrant tunc bona alterius, & propria eiusdem ordinis, semper propria sunt praeferenda sed in hoc casu concurrunt propria salus corporalis serui cum salute corporali aliena; quae est Domini; ergo regulariter a seruo praefenda est propria salus, & sic sibi, & non domino, in aequali necessitatis casu alimenta ministrare potest.

4. Dixi regulariter: nam si daretur casus, in quo salus, & vita domini esset Christiano populo, vel alicui Republicae necessaria, & salus & vita serui minime; tunc secundum eundem charitatis ordinem, teneretur seruis non sibi, sed domino alimenta ministrare; esset enim tunc vita domini, ratione publici boni, altioris ordinis, & ideo praefenda: nam ordo ipsius charitatis postulat, vt quae altioris sunt ordinis, praeferrantur. Non est tamen hic altior ordo attendendus ex conditione serui, vel libera; nam alioquin semper dominus praefendus esset, sed attendendus est respectu publici boni; nam etsi conditione dominus seruo sit maior, natura tamen aequales omnes sunt; & in naturali vita conseruanda non conditio, quae accidentaria est, sed ipsa natura, quae per se est, considerari debet, alijs regulis charitatis seruatis.

Ad doctrinam verò Nauarri, respondet Nauarra de Restitut. lib. 4. cap. 4. num. 28.

## RESOL. XLVII.

An serui possint parare mensam, & ministrare cibos Domino in die ieiunij. Ex p. 7. tract. 7. Ref. 58. alias 57.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, quia hoc non est cooperari ad peccatum alterius, sed ad substantiam solam illius actus, nimirum, vt coena est comestio quaedam ad nutritionem, & sustentationem animalis. Item quia opus illud solum est officium, quod praestare solet seruis, vel famulus domino; aut ami-

cus amico, aut hospes hospiti suo, sic licitum est, ministrare mensae conuincinatorum, vel duorum Haereticorum, vel dominorum in cibo & potu, & epulis, ventrique indulgentium, vel aliorum peccatorum, dummodo non consentiamus peccato eorum, sed solum praestemus officium, vel serui vel famuli, vel amici, vel hospitis. Vide me ipsum in part. 5. tr. \* 7. Resol. 13.

\* Quae hic est sup. in tr. 5. Ref. 59. &c.

## RESOL. XLVIII.

An licitum sit Domino offerre carnes seruis infidelibus in die ieiunij, vel illis imponere opera seruilia in diebus festis? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 59. alias 58.

§. 1. **A**libi probabiliter affirmatiuè respondi; quia Infideles sunt extra Ecclesiam, & non ligantur eius praecipis; & quod ad comestionem carnum in die ieiunij, me citato affirmatiuam sententiam tenet Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 3. cap. 2. dub. 2. num. 11. vbi sic ait. In diebus ieiunij licitum est ministrare carnes Paganis, & perpetuo amentibus, sicuti pueris ante usum rationis, vt cum Sanchez & Fagundez tenet Diana part. 1. tract. 9. resol. 42. ita Trullench. Quo ad opera seruilia idem tradit Pasqualigus in Decis. moral. Decis. 310. num. 2.

Alibi in Ref. quae nunc hanc sequitur, per tota, & in Ref. & 5. not. seq.

Quae nunc est in tom. 4. tr. 6. Ref. 67 §. vlt. &c.

## RESOL. XLIX.

An Dominus licite possit imponere seruo infideli vt opera seruilia exerceat in diebus festis? Idem est dicendum de perpetuo amentibus. Et docetur Paganis, & perpetuo amentibus fas esse ministrare carnes Diebus ieiunij, quia nulla lege Ecclesiastica obligantur? Ex p. 5. tr. 149 & Milc. 2. Ref. 7.

§. 1. **C**asus potest in praxi saepe accidere, & illud determinare noluit Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 12. numer. 18. Sed negatiuam sententiam docet Anton. Fernandez Societatis IESV in instr. confess. part. 3. mandament. 3. n. 16. vbi sic ait. Hazer que trabaje mi esclauo Moro, no es licito porque ninguna bestia puedo llevar carga da y el esclauo por si no está obligado a no trabajar, pero en orden a mi no ha de trabajar mandandose lo. Sic ille.

Sup. hoc & contento in hac Ref. in Ref. praerita & in Ref. not. vlt. huius Ref.

2. Verum ego dominum sic facientem de peccato mortali non audem damnare, quia abstinentia ab operibus seruilibus in diebus festis est praecipuum Ecclesiasticum, vt pater. Sed infideles, vt notat Granada in 1. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. disput. 6. n. 49. & alij communiter, non tenentur legibus Ecclesiasticis; ergo dominus seruum infidelem laborare in die festo faciens, non peccabit, quia seruis non peccat. Et ideo Paulus Layman. in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 5. numer. 3. docet, perpetuo amentibus fas esse opera seruilia diebus festis imponere, quod idem concederet quoad infideles, est enim in vtriusque paratio cum sint a legibus Ecclesiasticis soluti; vnde ego iple in part. 1. tract. 9. de ieiunio, resol. \* 42. cum Sancto, Sanchez, Azorio, & Suar. docui Paganis, & perpetuo amentibus fas esse ministrare carnes diebus ieiunij, quia nulla lege Ecclesiastica obligantur.

\* Sup. his in Ref. not. praerita, & seq.

\* Quae hic est in to. 4. tr. 6. Ref. 67 §. vlt. & cursum in alio §. eius not.



## RESOL. I.

*An serui, & famuli possint licite obedire Dominis si præcipiant, ne audiant Missam, vel laborem in diebus festis? Ex part. 7. tract. 7. Ref. 53. alias 52.*

**1.** **A**D hoc dubium respondet Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 7. §. 9. ubi sic ait. Quæres an serui semper à præcepto excipiantur, quum iussu domini aliquid obire, & exequi compelluntur? Respondeo, conuenire inter omnes legitimam eis inesse peccati excusationem, si sibi probabiliter, & grauius nocerent domino non obtemperantes, vt alio loco superius admonui.

Superius in Ref. not. seq. & Vlt. huius

\* Quoad hoc lege doctrinam Ref. seq.

**2.** Rursum certi iuris est, eos debere Missam audire, si ob Ecclesie contemptum omittente domini iuberent. Verum id dubia quæstionem est, \* An quando Domini imperant famulis aliud facere, iustam peccati excusationem habeant, si iussa Domini faciant, tamen si nullum aliud detrimentum sibi probabiliter timerent præter duriusculam reprehensionem, vel iram? Aitunt quidam generatim eos liberos esse culpam si rem diuinam omittant, vt dominis obediant, omni etiam metu mali subiato. Verum si eis obiciatur, magis esse Deo, & Ecclesie parendum, quam hominibus. Dicunt id locum habere, cum domini præcipiunt aliquid, quod esset contrarium Dei, & Ecclesie mandatis: at dum Ecclesia præcipit rem diuinam audiri, vult solum vt serui, vel famuli audiant, cum iussu dominorum aliud præstare non coguntur: quare serui iustam hac in re excusationem obtinent, domini non item qui quidem non raro in hac parte peccant: tum quòd nihil sua interesse putant quòd serui & famuli audiant rem diuinam, necne, salutem illorum spirituales negligentes, tum sap. numero leuia aliqua præcipiunt eo tempore quo res diuina audiri debet, cui nimirum incommodo, si vellent domini facile posset occurrere. Ita Azorius, qui citat Syluestr. Rosellam, & alios.

\* Sup. hoc supra in tr. 5. lege doctrinam §. 1. Ref. 46.

**3.** Non desunt tamen Doctores excusantes seruos à peccato propter solam reprehensionem domini absque alio timore grauis damni: & idè Machadus to. 2. lib. 6. p. 7. tract. 11. docum. 4. n. 3. sic ait: Es pues quæstion, y grauamente controuersa entre los Doctores, si quando el criado no teme que su señor le desprecie, ni se le quede con su salario, sino solamente que lo reprehenda a speramente, si en tal caso deue no obedecerle, y padecer antes essa incomodidad, que dexar de cumplir con el precepto. Probabile opinio es, que es obligada à padecer essa pequeña incomodidad antes, que dexar de cumplir con la obligacion del precepto: porque parece, que no auendo incomodidad notable, es muy iusto, que primero obedescamos à Dios que à los hombres. Si bien la mas probable es, que aunque no concorra causa iusta de miedo, ne de incomodidad alguna en el criado, solamente por evitar la vña, y condicion rigurosa de señor, se escusa de la obligacion del precepto, quando se lo manda: enyo será el pecado, y correrá por su cuenta, si iniustamente, y sin causa le mandare, o ocupare en el tiempo que deue el criado oyr Missa. Fundantse los Doctores desta opinion, en que juzgan, que quando la Iglesia, obliga o manda à los criados, que oyan Missa, no trabajen los dias de Fiestas, &c. Se entienda de baxo de condicion, si sus señores no les mandaren lo contrario, o lo impedieren con acciones incompatibles. Ita ille.

**4.** Sed vt v. rum fatear existimo cum Trullench. tom. 1. lib. 3. c. 1. dub. 9. n. 9. solam duriusculam reprehensionem Domini absque graui damno, modo ex-

plicato, non exulare famulum; quilibet enim tenetur præcepta adimplere per se loquendo, quoties ea potest adimplere, absque graui incommodo.

## RESOL. II.

*Serui, in quibus non teneantur obedire Dominis? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 49. alias 48.*

**§. 1.** **R**espondeo certum esse non teneri, nec posse obedire in iis, quæ per se mala sunt, vt quæ sunt contra ius naturale, vel ius gentium, & in aliis contra ius diuinum præceptis. In iis vero quæ Ecclesie & legibus ciuiliū Principum sunt contraria, considerandum est, an actus obliget Ecclesie, vel Principis præceptum, quàm domini: & tunc etiam magis potius Ecclesie, quàm domino parendum est: Quod si Principis præceptum, vel Ecclesie non ita actus obliget, vt velit anteponi præcepto domini, tunc potius seruis tuta conscientia parere domino, quàm in tali casu non obligat Ecclesie, vel Principis præceptum, vt in multis exemplis expressum est: agentes de præceptis Ecclesie. Denique si res sit indifferens nec bona, nec mala ex se, obediendum est domino: & a fortiori multò magis, quando essent opera bona, & conformia legibus. Et ita tenet Azorius tom. 1. lib. 3. c. 8. §. 10. Filiuc tom. 2. tract. 28. par. 2. cap. 3. m. 4. & Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 4. c. 1. dub. 5. n. 4.

**2.** Non deseraunt tamen hic adnotare Machadum tom. 1. lib. 6. par. 7. tract. 13. docum. 1. n. 2. Sic asserere. Digo pues, que aunque por expressa ordenança de los sagrados Canones consta, que por ninguna causa, ni respeto se deve hazer accion alguna que de suyo, y ab intrinseco sea mala, aunque por el temor se pierda la vida, honra, y hazienda; porque la misma razon natural dicta, que todas essas causas se han de temer menos, que la muerte del alma, que se causa por el pecado. Con todo esso vna glesia, que aprueba la ley de Dios, que el esclauo, que comiere algun delito por mandado de su señor, y apremiado con temor de perder la vida, no pecca. I otros Iuristas Classicos desprecian, que el esclauo, que por mandato de su señor cumplido con este iusto temor matò a la muger de su señor, de quien sospechaba, que le hazia ofensa, no cometio pecado en el fuero interior, ni en el exterior, mercede pena por auerla muerta. Ita ille. Sed circa hæc magnam habeo difficultatem, & in his standum est Theologis, & nõ Turicconsultis, & quæ Turicconsultorum opinionem profus & merito refellunt Theologi.

## RESOL. III.

*An Christiani Infidelium serui possint licite absque iuramento prestare Dominis, quando inuadunt in Templum Idolorum?*

*Et an ancilla Christiana à pagani captiua possit genuflectere, vna cum Domina in Templo Idolorum genua flectente, & sese prosternente? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 56. alias 55.*

**§. 1.** **D**ifficultas est an seruo Christiano apud Paganos captiuo liceat in eorum templis genuflectere, obsequium, & officium suo domino genua summittenti debitum præstando, quo cum in circuiuatam sustentet: Nam ex vno capite id non esse licitum videtur, quoniam Nahaman opera, & ministerio Elisei curatus à lepra, ardentem pestulauit ab eo, vt Deum suum precaretur: Quòd, inquit mihi ignoscet, si adorauerim in templo Remmon, domino meo adorante. Ex altero capite id videtur licitum esse si-

ere, quia in eo seruis tam hummodò suo officio & munere fungitur. Respondeo, ius esse seruo, id facere, nam dummodo seruis nullum cultum Idolo tribuat, tunc potest suo domino inferuire, id enim officij præstare solet domino suo, tum in templis, tum extra templum: quemadmodum etiam Christiana ancilla à Paganis capta, & caudam vestis dominæ suæ gestare solita, tuta conscientia genuit, cum cum domina in templo Idolorum genua flectente, & sese prosternente, quia id quoque facere ubique consuevit. Quare igitur, inquit, si id est licitum facere, petiuit Nahaman ut ipsi Deus ignoscere? Respondeo dubium fuisse Nahaman, utrum iure posset id obsequij genus domino suo Idoli cultori præstare, immo fortassis veretur, ne id graue peccatum esset; & proinde impensè postulauit, ut Elisæ precibus id iuris sibi à domino concederetur. Elisæus autem nequaquam soluit legem diuinam, neque enim poterat in eo, quod est per se, & intrinsecè malum, legem aliquam soluere, & excipere, sed concessit ei rem sua natura indifferentem, quam tamen ipse anceps animi, tanquam bona mente præditus putabat, aut etiam veretur esse interdictam, Deoque proinde odiosam, ac detestabilem: quod Abulenſis, & Lyanus prudenter obseruauerunt.

2. Et idè ego puto non peccare seruum Christianum in partibus Infidelium, qui præstat obsequium domino suo sustentando eius brachium, etiam cum genua flectit, vel seruam, quæ gestat caudam dominæ suæ, & vna cum illa genua flectit. Ratio est, quia etiam extra Tempia idem obsequium præstant: quod autem idem faciunt in templo, id se habet per accidens. Et hanc nostram sententiam docet Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 7. num. 32. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 7. quibus etiam adde Thomam à Iesu de procuranda salute omnium gentium lib. 5. part. 2. dub. 6.

## RESOL. LIII.

An serui teneantur defendere vitam Dominorum cum periculo vitæ? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 50. alias 49.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Machadus de Perſ. Confess. tom. 2. lib. 6. part. 7. tractat. 13. docum. 1. num. 1. ubi sic ait: *Se ha de aduertir, que se- gun expressamente disponen unas leyes del Derecho comun, i Real, si algun esclauo teniendo noticia, que contra su señor, ò su muger, ò hijos se intentara alguna afechança, ò traicion, ò cosa semejante no solamente para quitarles la vida, sino tambien para hazerles algun agrauio de heridas, &c. ò si peleando alguno de sus señores corria peligro su vida; si el esclauo no fuesse à la defenſa, manifestandoles la traicion, que contra ellos se traguaua, ò no les defendio su vida con su propia persona, disponen como digno, que incurra en pena de muerte; i esto aunque al esclauo le huiesse de constar la vida el defenderlos, sin que lo escuse el auer dado voces, i pedido socorro, quando por su persona pudo ayudarlos, ò defenderlos.* Ita ille.

2. Sed putat Molina tom. 4. tract. 3. disp. 13. memb. 5. n. 8. dictas leges nimis rigidas esse, nec obligare seruos ad defensionem vitæ domini cum periculo suæ vitæ. At Trullench tom. 1. lib. 4. c. 1. dub. 5. n. 2. primæ sententiæ adhæret: nam docet mancipia teneri cum periculo vitæ defendere dominos à malis imminentibus, quando non temerè se ingerunt in pericula: quod etiam docet Filiucius tom. 2. tract. 28. part. 2. cap. 3. n. 46.

Tom. VII.

## RESOL. LIV.

An serui validè possint emittere vota? Ex p. 7. tract. 7. Ref. 5.

§. 1. **R**espondeo, quod seruis nullum votum reale potest emittere validè: nã quicquid seruis habet, domini est, siue ad personam, siue ad opus, siue ad res pertineat: vnde, nec potest emittere vota personalia, si ex toto, vel ex parte debitum domino obsequium perturbant, vt vouere Religionem, peregrinationem, aperi ieiunia, ea verò quæ non perturbant potest validè vouere vt orationes, castitatem, &c. Vide D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 8. Syl. verb. votum 3. q. 3. Et ita docet etiam Villalobos in summa tom. 2. tract. 34. dis. 6. n. 2. & alij communiter.

## RESOL. LV.

An valeat votum seruorum collatum ad tempus libertatis?

Et an prædictum votum possit irritari à Dominis?

Et an valeant contractus seruorum collati ad tempus libertatis?

Et omnia supra dicta exponuntur etiam pro votis vxoris, & impuberum collatis ad tempus libertatis, & pubertatis. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 26.

§. 1. **P**rima opinio docet valida esse prædicta vota seruorum collata in tempus libertatis, & obligare secuta postea prædicta libertate, & non posse irritari à dominis, nisi pro tempore, quo dominis fuerint subiecti, v. g. si pro tempore vitæ suæ serui vouerint aliquid faciendum, siue libertatem consequantur, siue non consequantur, non poterunt ipsi dominis irritare talia vota, nisi pro tempore, quo serui illis fuerint subiecti, non verò pro eo tempore, quo libertatem consecuti fuerint. Hanc docent Lessius tom. 1. de inst. lib. 2. cap. 40. dub. 10. n. 82. Azorius tom. 1. lib. 1. cap. 17. quæst. 9. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 3. num. 2. & 3. cum aliis quos citant. Fundamentum est, quia nihil ad dominos pertinent vota seruorum emissa in tempus libertatis; quid enim ad illos attinet, quid postea serui sint acturi, profecto nihil; & quia hæc vota simpliciter sunt conditionata, quare non incipiunt obligare seruos, nisi post purificatam, impletamque conditionem aſſecutæ libertatis. Tandem, quia non est eadem ratio de voto professionis viri non consentiente vxore, atque de voto seruorum collato in tempus libertatis non consentientibus dominis, quia votum viri idè non obligat post mortem vxoris, quia vir id non vovit, nec mens illius erat, vt si nunc impediretur propter matrimonium, teneretur ingredi vxore mortua, neque dici potest teneri illum ratione professionis factæ, quia hæc ipso iure fuit inualida, vxore nolente, nemo enim potest donare quod est alterius; corpus autem viri erat vxoris, vnde etiam vir ratione professionis non tenetur seruare paupertatem, & obedientiam, quia hæc non habent locum nisi in Religione, & quia ille non habet Prælatum. Ad castitatem tamen tenetur ex interpretatione iuris, quia hæc vouere poterat inuita vxore, vnde viuente vxore, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere, & mortua vxore non potest aliam ducere, vt docet Lessius tom. 1. de inst. lib. 2. cap. 40. dub. 10. num. 82.

2. Secunda opinio docet votum collatum in tempus libertatis, obligare quidem seruos, sed posse irritari à dominis. Hanc docet Syl. verb. votum. 4. volum. 4. p. 4. quæst. 2.

Pp 4 quæst. 2.

Sup. conten-  
tis in hæc  
Ref. in tom.  
8. tr. 4. in Re-  
sol. 44. & 45.  
& pro parte  
hic infra in  
Ref. seq. cur-  
sim in prin-  
cipio, & cum  
Villalobos  
in fine.

Sup. hoc ibi-  
dem, figuro-  
ter in duabus  
Ref. not. præ-  
teritæ.

quest. 2. §. quintum. Et debent docere omnes, qui dicunt vota impuberum collata in tempus libertatis, vt si voueant aliquid exequendum, cum adoluerint, valida quidem esse, sed similiter irritari posse à parentibus, & eorum qui loco parentum sunt, & hi sunt, idem Syluester, *dicti. verb. votum 4. questione 2. & verb. Religio 2. num. 14. ex Panormitano in cap. scriptura, de voto, & voti redempti. Nauarius in summa Latin. cap. 12, num. 67. Sotus lib. 7. de iustit. quest. 3. art. 1. Fundamentum huius opinionis est? Primò, quia, sicut vota impuberum habent ex dispositione iuris tacitam conditionem, si patri placuerit, ac proinde possunt irritari à dominis, & approbari, prout illis placuerit. Secundò, quia professio viri inuita vxore facta ita est irrita, & inualida ex sua natura, vt nec post mortem quidem vxoris teneatur vir ad talem professionem, ad Religionemque redire, vt patet ex capite quidam, de conuersione coniugati. & ex capite placet nobis, eodem titulo, propterea quod corpus viri vxori subiectum, & obligatum erat: qui magis subiectum est corpus serui domino, quam corpus viri vxori, & maius dominum habet dominus in corpore serui, & mancipij, quam vxor in corpore viri; ergo sicut votum professionis viri sine vxoris consensu factum ita est irritum, & nullum, vt nec post mortem vxoris obliget, ita etiam vota seruorum collata in tempus libertatis, absque consensu dominorum facta irrita omnino erunt, vel saltem à dominis irritari possunt.*

Vnde ex his ego puto vtramque sententiam esse probabilem, ex qua etiam sequitur decisio illius dubij, an valeant contractus serui collati ad tempus libertatis.

## RESOL. LVI.

An Domini possint irritare vota seruorum?  
Et quid, si votum sit audiendi Missam, ieiunandi, communicandi, &c?  
Et quid de voto seruande Castitatis?  
De votis vero ante seruitutem emissis, an Domini possint suspendere eorum executionem?  
Et obseruatur vxorem non posse serui vota irritare, nisi spectet ad eius bona paraphernalia?  
Et notatur posse Dominum serui impuberis parentibus arbitari omnia illum vota irritare, quod est valde notandum. Ex p. 7. tr. 7. Ref. 27.

\* Sup. atqui  
bus ex con-  
tentis in hac  
Ref. leg. su-  
pra breuem  
doctrinam  
Ref. 54. pro  
validitate a-  
liorum vo-  
torum.

§. 1. \* **R**espondeo ea sola vota irritari posse, quæ eorum obsequio, & seruitio obstituerint, quia in ea sola ratione dominis subiecti sunt. Sic Nauarius cap. 12. n. 64. Valentia 2. 2. disput. 6. quest. 6. punct. 6. questione vltima, Azorius lib. 11. cap. 16. quest. 8. cap. 17. quest. 9. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 14. num. 86. in 2. edit. Suarez lib. 6. cap. 3. num. 1. 2. & 3. Sanchez pluribus relatis lib. 4. cap. 36. num. 2. Quapropter vota quorum executionem serui miserint in tempus solutæ seruitutis irritari non possunt. Sed de hoc vide superiorem resolutionem. Quia neque in executione, neque in obligatione dominorum obsequio præiudicant. De votis vero ante seruitutem emissis suspendi eorum executio potest, si præiudicantia fuerint, & idem est dicendum de votis obseruandi præcepta diuina; audiendi Missam, ieiunandi, communicandi. Nam esto irritari non possunt, quia non sunt de materia ipsis dominis subiecta; possunt tamen impediri, & suspendi aliquando si præcipiantur eo tempore fieri aliqua opera cum eorum obseruatione impossibilia, vt bene aduertit Sanchez d. cap. 36. num. 6. Quod à fortiori procedit in votis rerum ad consilium pertinentium, vt recitandi aliquas moderatas orationes, præstandi

\* Quæ hic  
est etiam  
Ref. antecede-  
ns, & in  
aliis eius pri-  
mæ annor.

aliquam moderatam abstinentiam. Votum vero castitatis, nullatenus irritari, neque suspendi potest. Quia eius obseruatio neque præiudicare dominis potest, neque impedire eorum continuum obsequium, vt fuerunt omnes D. D. Et idem est de votis realibus, si forte serui aliqua bona habeant propria, vt docuit Suarez d. capite 3. numero 5. Secus vero si ex bonis dominorum sint; nam eo ipso voto eorum dispositio subiecta.

2. Et idem non desinat hic apponere verba Villalobos in summa. tom. 2. tract. 34. diff. 20. num. 1. ubi sic ait: *En las cosas que el seruo no perjudica a su señor, no es sugeto a él, sino que es sui iuris, y así no le podrá irritar los votos, que en esso bñ. sero: mas en las cosas que perjudican al señor, no es suyo, sino del señor, y así le puede irritar todos los votos que le perjudican, como todos tienen. De suere, que pue. de libremente hazer voto de castidad, y aun casarse, como consta del derecho, que quanto a esto no le es sugeto: mas podrá el señor irritarle el voto de pergruacion, y de rezar el Oficio diuino, y otros semejantes, como dize Santo Thomas, porque el seruo en ningún tiempo es esento del seruoicio de su señor, y estas cosas, es llano, que requieren tiempo. Mas si se hiesse estos votos para cumplirlos despuer que saliere del dominio de su señor, es cierto que obligarian, y no se le podrían irritar: porque nada desjo puen en el iuryzio del señor. Ita ille; cui adde omnino videndum Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 37. num. 1. & seq. qui optime etiam obseruat vxorem non posse serui vota irritare nisi spectent ad eius bona paraphernalia. Notat etiam idem Trullench. dub. 36. art. 1. posse dominum serui impuberis parentibus irritari; omnia illius vota irritare; quod est valde notandum.*

## RESOL. LVII.

An serui possint valide, & licite matrimonium contrahere?  
Et an peccet Dominus si prohibere intemes serui, ne ineat matrimonium, vel conentor impedire, aut supplicio afficiat seruum ob contractum matrimonium?  
Et an Dominus post promissionem & sponsalia serui non possit amandare, vel vendere illum in aliam regionem? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 36.

§. 1. **R**espondeo non solum valide sed etiam licite posse quemcumque seruum, absque villo consensu domini, legitimo matrimonio copulari. Habetur in iure cap. 1. de coniugio seruorum, vbi sic definitum est: Nec inter seruos debent matrimonium villatenus prohiberi; & si contradicentibus dominis, & inuitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolueda. Ratione probat Sanchez Thomas 4. dist. 36. quest. 1. art. 2. Quia iure nature & diuino, singuli homines facultatem habent, & libertatem ineundi matrimonium ad prorogationem humanæ speciei, & in remedium propria concupiscentie. Quia facultate nullo humano iure poterant spoliari. Neque potestas domini in seruum, poterat huic facultati naturali præualere; sed solum ad exigentia ciuilia obsequia extenditur potestas domini in per seruum. Quæ non sunt incompatibilia cum vinculo matrimonij. Quinimo, licet per vsum & census coniugij non remaneat seruus adeo expeditus ad omne obsequium, sicut si esset solutus; debet hoc ipsum tollari à domino, quia ex natura rei ita competitat cuiuslibet homini hæc facultas, vt spoliari ea non possit.

2. Hinc inferitur, peccare grauer dominum, si omnino prohibere tenet suo seruo ne ineat matrimonium. Non tamen per hoc tenetur dominus positine consentire: sed potest semper dicere, id sibi non placere. Item peccare grauer dominum, qui conetur impedire seruum ab inuendo matrimonio: ita vt post promissionem & sponsalia, non possit amandare, vel vendere illum in aliam regionem, vbi ea sponsalia impleri non possint. Non tamen teneretur dominus, etiam ante sponsaliam promissionem, deprehendens inclinationem serui nuptias molientis, illum retinere in eodem loco: sed bene posset vti iure suo, mittendi, aut vendendi illum in alium locum. Rursus peccare grauer dominum: si pena & supplicio afficiat seruum ob contractum matrimonium: quia non potest illum iuste punire ob actionem licitam, & non iniuriosam ipsi domino. Non tamen per hoc teneretur dominus, prestare adhuc seruo illa gratuita beneficia, quae alioqui illi prestare solitus, aut paratus erat: vel ita benignè tractare, sicut alioqui faceret. Et hæc omnia docet Auerſa de Sacram. Matrim. q. 3. sect. 7. & Sanchez lib. 7. dist. 21.

RESOL. LVIII.

An serui matrimonio copulati possint licite vendi?

Et an vxor serui teneatur eum sequi in longinquam regionem ablegatum? Ex parte 7. tractatu 7. Res. 37.

§.1. **R**espondeo distinguendo ex communi sententia Doctorum in cap. 1. de coning. seruorum aut seruus inuit matrimonium domini consensu, aut eo infecto, vel repugnante. Si primum, non licet vendere, quoniam damnus, & malum coniugi inferitur, vt est constans omnium opinio. Si secundum, Nauarra sentit in Man. cap. 22. num. 34. id facere licere domino absque lethali peccato: eo quod dominus vendit seruum tanquam rem suam, cuius pretio indiget. Angelus tamen in ver. Matrimonium, impedimento 4. num. 5. Syluester verb. seruus, quest. 7. Sotus 4. d. 35. quest. 1. art. 1. negant cum Sancto Thoma in Addit. quest. 52. art. 2. ad 4. id iuris dominum habere, eo quod vxor damnus graue patitur invita. Sed vtraque opinio facile conciliari potest. Etenim si in longinqua, & remota regione dominus viua cum seruo commoretur, & egeitate, & inopia prematur, salua conscientia vendere potest, vt sibi ex pretio subueniat, quamuis seruus sit matrimonij vinculo adstrictus. Si in patria dominus degat, & necessitate aliqua cogatur, nisi ex serui pretio sibi succurrat, ibique emptorem ad vicina loca non inueniat, fas est seruum vendere emptori peregrino etiam in longinqua, & remota loca. His exceptis, & aliis huius generis causis, non licet domino seruum vendere in longinquam regionem amandandum, & transmittendum: eo quod vxori eius graue damnus inferatur contra iustitiam. Quæres, An vxor serui debeat eum sequi in longinquam regionem ablegatum? Respondet Sotus loco supra citato, Si maritus seruus possit commodè vxorem eò ducere, id facere deberet, cui vxor parere iure connubij cogeretur. Si vxor item maritum sequi commodè posset, tamen eam ille non deduceret, sequi deberet; secus autem, si id commodè facere nequeat. Et hæc omnia docet Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 38. quest. 6. cui adde Filliucium tom. 2. tractat. 28. part. 2. cap. 3. num. 74. & Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1. an. 6. num. 4.

2. Vide etiam Sanchez lib. 7. dist. 22. per totam, & Auerſam quest. 3. sect. 7. vbi sic ait: Hinc D. Thomas in 4. d. 36. quest. 1. art. 2. ad 4. alique plures notant non licere domino vendere, ac distrahere seruum in regionem longinquam, sic separando eum ab altero coniuge, & impediendo vsum coniugij. Id tamen non admittit Scotus eadem dist. quest. 1. §. Dico ergo, & alij quidam, quædo scilicet seruus absque consensu domini nupſit. Alij verò plures variis modis distinguunt. Et quidem limitanda est conclusio D. Thomæ, quando alter coniux potest commodè sequi illum qui venditur in regionem longinquam, quia tunc per se non impeditur vsum coniugij. Et quando dominus graui necessitate premeretur, nec inueniret sufficiens pretium serui in loco suo; quia tunc præponderare videtur necessitas domini. Et multum etiam refert, si dominus contradixit vel consensit matrimonio sui serui. Aut alia circumstantia occurrat. Quod totum erit prudenti arbitrio discernendum. Ita Auerſa.

RESOL. LIX.

An seruus tentatur magis seruire Domino, quam vxori? Ex parte 7. tractatu 7. Res. 38.

§.1. **R**espondeo, & dico primo, quod si seruus vxorem duxit incio domino, aut inuigo, magis debet prestare obsequium domino, quam vxori, S. Thom. in 3. parte, questione 52. art. 2. ad 3. Glossic. 1. de coning. seru.

2. Dico secundò. Si seruus domini consensu vxore duxit, tenetur magis reddere vxori ius suum, quam domino; Ratio est, quia eo ipso quod domini consensu seruus contraxit, implicite ac tacite voluit, vt seruus vxori suæ debitum redderet. Hinc est, vt si eodem tempore dominus aliquid seruo præcipiat, & vxor debitum petat: si seruus vtrumque prestare potest ad vtrumque teneatur. At si nequeat vtrumque simul prestare, potius coniugi parere debet quam domino. In praxi tamen vix poterit id contingere; & semper vxor conscientia domini voluntatis, potest facile differre petitionem complexum in commodius tempus. Etia docet Filliuc. tom. 2. fr. 8. p. 2. c. 3. n. 62. Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 38. quest. 5. Trullench in Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 1. an. 5. n. 9. & Auerſa de Sacram. Matrim. quest. 21. sect. 1. At de tota hac materia vide Sanch. lib. 7. dist. 21. per totam.

RESOL. LX.

An seruus possit dare mutuo? Ex parte 7. tractatu 7. Res. 23.

§.1. **R**espondeo quod si dominus concessit seruo administrationem peculij, potest dare mutuum, & accipere, si rogatus §. si fugiuimus ff. de reb. cred. sin minus quando cumque seruus mutuum det, is qui accipit obligatur domino, non seruo: dominus enim accipit ius ex contractu serui, leg. nec seruus ff. de pecul. Denique si seruus mutuum accipiat, si quidem iussu, aut nomine domini, & sic dominus obligatur: sin minus, seruus obligatur naturaliter, hoc est si fuerit adeptus libertatem, cogitur reddere mutuum. I. quod attinet ff. de reg. iuris. In casibus verò in quibus seruus acquirit sibi dominium de aliquibus bonis, vt supra visum est, posse dare mutuum dicendum est; sed generaliter inquirendum est.

Supra in Resolutionibus quæ hic sunt 27. 28. 30. 31. 32. 33. 34. 35. & in aliis carum notationum.

RESOL.

## RESOL. LXI.

*An serui validè contrahant, & obligentur?  
Et quid si seruus promisit pecuniam pro libertate Do-  
mino, an tunc concedatur actio aduersus il-  
lum?*

*Eodem modo, si pactum fuit inter seruum & Domi-  
num, vt propter pecuniam illum manumitteret, &  
seruus soluit pecuniam, habet seruus actionem con-  
tra Dominum, vt se manumittat, & alij diuersi  
casus adducuntur, & explanantur pro praxi supra  
dictarum questionum. Ex p. 7. tr. 7. Rel. 24.*

§. 1. **R**espondeo quod ex contractibus seruorum  
sive cum dominis, sive cum aliis, non oritur  
cuius obligatio, vnde neque illis neque aduersus illos  
datur actio in foro seculari, etiam postquam peruenerint  
ad libertatem, *l. in personam, l. quod attinet. ff. de  
reg. iur.* in quarum vltima dicitur, Quod attinet ad ius  
civile, serui pro nullis habentur, non tamen ex iure natu-  
rali, quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines  
aequales sunt, Excipitur, nisi seruus promisit pecuniam  
pro libertate domino, tunc enim conceditur actio ad-  
uersus illum *l. promissæ C. an seruus pro suo proprio, & c.*  
Promissæ, inquit, tibi pecunia à seruo tuo, vt eum ma-  
numiseris: si posteaquam manumissisti, stipulatus ab eo  
non es, aduersus eum petitionem per in factum actionem  
habet. Eodemque modo si pactum fuit inter ser-  
uum, & dominum, vt pro certa pecunia illum manumit-  
teret, & seruus soluit pecuniam, habet seruus actionem  
contra dominum, vt se manumittat, *l. 1. §. seruos ff.  
de offic. pref. verb. leg. vix ff. de iudic.*

2. Sed ex contractu seruorum, quamuis non  
oriatur obligatio civilis, oritur tamen naturalis, vnde  
in foro conscientiae ipse tenetur stare contractui, &  
vicissim qui cum eo contraxit, *l. quod attinet. cum ff.  
de regul. iur. leg. serui ff. de actio & oblig. Ex contracti-  
bus inquit civiliter quidem non obligantur, sed natu-  
raliter quidem obligantur, & obligant. Hinc est, vt si  
seruo dominus aliquid debebat, idque soluit postquam  
fuit manumissus non concedatur domino repetitio;  
quia soluit id ad quod naturaliter obligatus erat. Eo-  
demque modo si quis nomine serui, vel ipse post ma-  
numissionem soluat non conceditur repetitio, nec tenetur  
fideiussor pro seruo soluere, *l. naturaliter. ff. de  
condic. indeb.* Et ita etiam docet Fillucius tom. 2. tract.  
5. cap. 3. num. 50. & 51. Sanchez in opusculo, tom. 1. lib. 1.  
cap. 1. dub. 2. vbi sumat, quod seruus sine licentia do-  
mini promittens aliquid vel aliter contrahens obliga-  
tur naturaliter, & in foro conscientiae. Hinc fit, quod  
in omnibus casibus in quibus liber homo teneretur  
naturaliter, & civiliter, teneretur seruus naturaliter.  
Et si seruus se obliget dando fideiussorem, tenetur  
fideiussor naturaliter & civiliter: quia fideiussor po-  
test accedere naturali obligationi. Sed circa præsentem  
questionem ne deseras etiam videre nostrum Mega-  
lam in 2. 2. lib. 2. c. 5. q. 4. n. 86 & seq.*

3. Dicendum est igitur quod de iure naturali acti-  
uam & passiuam obligationem seruus habet; nam etsi  
seruitus ea, quæ sunt iuris civilis, tollat, tamen ea, quæ  
sunt iuris naturalis, inuolata relinquit, vt in *l. quod at-  
tinet ff. de reg. iur. & iuxta §. Sed naturalia institut. de  
iur. nat. gent. & civ.* Inde fit, vt in conscientiae foro tam  
ipsi serui, quam illi, qui cum illis contrahunt, sicut  
sunt domini, siue extranei ad obseruationem contra-  
ctus teneantur.

## RESOL. LXII.

*An serui possint esse testes? Ex parte 7. tract. 7. Rel. 7.  
alias 71.*

§. 1. **D**E hac questione vide Farinacium de Te-  
stibus q. 55. in spec. 2. n. 165. cui adde Dic-  
nellam lib. 25. c. 9. Rithersulfum in Nouellis iustit.  
n. par. 9. cap. 22. n. 22. Dicastrum de Inst. lib. 2. tit. 1.  
disp. 8. dub. 3. num. 25. qui omnes negativè respondent  
ex leg. quoniam liberi, C. de Testament. & in leg. primum,  
C. de question. quod tamen limitatur in aliquibus ca-  
sibus, quos ponit Farinacius vbi supra, & præsertim  
quando veritas aliter haberi non potest, vt asserti iur.  
consultus in *l. serui ff. de Testibus, & probat. Mafcardus  
de probat. concl. 1358. n. 18.* Idem dicendum est in  
criminibus exceptis, vt notat idem Mafcardus vbi su-  
pra, n. 19. Vnde in nostro sacro Tribunali sanctæ In-  
quisitionis, serui recipiuntur ad ferendum Testimo-  
nium etiam absque tortura.

## RESOL. LXIII.

*An serui possint testamentum facere?  
Et an mancipia, & Christiani capti à Turci,  
possint etiam in statu, & loco captiuitatis tes-  
tamentum facere? Ex parte 7. tract. 7. Rel. 71.  
alias 50.*

§. 1. **R**espondeo cum Eminentissimo Cardinali  
de Lugo de Inst. tom. 2. disp. 24. scilicet q. 2. §. 1.  
seruum testari non posse, nec si testetur valere illud tes-  
tamentum, etiam si postea liber fiat, quia factum est  
non habente legitimam voluntatem, imò licet nec  
iam ipso ignorante, vel dubitante, liber factus et de-  
testamentum non valet, *l. qui testamentum domini, & l. q. 1.  
& l. filius familias, 2. ff. de testam. val. ret. tamen illud tes-  
tamentum ad causas pias, si verè liber iam erat, quan-  
do illud fecit, vt probat Molina disp. 137. Captiuus etiam  
bello iusto apud hostes, vel obles, qui est in loco capti-  
ui in eo statu non potest testari: si tamen antea tes-  
tamentum fecisset, siue mortuo testatore possit li-  
bertatem iure postliminij, siue etiam in eo statu, & vbi  
instit. quibus non est permittum facere testamentum, leg.  
eius, leg. ob fides, & alius ff. de testam.*

2. Sed Thomas Mauilius tract. de testam. tit. 2. num.  
44. ponit aliquas exceptiones, & assertit seruum conde-  
re posse testamentum. Primum, si hoc ei per aliquod sta-  
tutum permittatur. Secundò si dominus seruo id per-  
mittat. Tertio, si ad pias causas testatur. Quarto si liber  
decedat.

3. Obserua tamen quòd licet non valeat testamen-  
tum factum à captiuis, in loco captiuitatis, etiam si po-  
stea redierint. Sed hoc non intelligitur, vt bene aduertit  
Amicus de inst. & iure disp. 19. scilicet 3. n. 56. & Molina  
disp. 37. de mancipiis Christianis captiuis à Turcis, qui  
hi testari possunt etiam in statu & loco captiuitatis.

## RESOL. LXIV.

*An serui inuitis Dominis, possint eligere sepulturam?  
Et an Dominus teneatur facere expensas circa fun-  
serui?*

*Et an pro seruo tamen impubere Dominus possit eligere  
sepulturam?  
Quod idem dicendum est de seruo pubere, si puber, ser-  
uus illum non elegit. Ex p. 7. tr. 7. Rel. 75. alias 74.  
§. 1. Affr.*

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Portel in *Dub. Reg. V. sepultura. n. 6.* Paiqualig. *Dec. 381. n. 7.* quia in spiritualibus dominus non habet potestatem super seruum. At hæc opinio procedit si seruus pubes sit, nã tunc potest eligere sepulturam, sed quid, si non eligit sepulturã. Respondeo quod dominus potest eligere, si neque is elegerit, sepeliendus est sepultura Parochiæ in qua dominus domicilium habet. Pro seruo tamen impobere dominus eligere potest sepulturam. Et hæc omnia ex Vbaldo docet Laurius in *Elucubr. var. tit. 2. c. 1. n. 1. 46.* qui etiam *c. 16. n. 29.* notat quod dominus tenetur facere expensas circa funus serui.

RESOL. IX.

*An licitum sit se exponere ludo cum periculo manendi mancipium in treuibus?* Ex p. 7. tr. 7. Res. 43.

§. 1. **S**upra dictum est liberum esse cuique se ipsum pro seruo vendere egestatis causa: nunc quaeritur, si licitum sit alicui seipsum lucrì, & quaestus causa vendere? Alicubi est via receptum, vt quidam ætate, & vitibus valentes alea ludant ea lege & conditione, vt ducti, seruituti tradantur ad remigandum in treuibus, quod si victores euaserint, pecuniã expositã ludo sibi comparent: & solet Republica, aut Magistratus huiusmodi conditionis hominibus pecunias ac ludẽ tradere. Scribit Tacitus in *libello de moribus Germanorum*, apud eos hunc morem fuisse. *Aleam*, inquit, (quod mirere) sobrii inter seria exercent tanta laetandi, perdendiue temeritate, vt cum omnia deseruerint, extremo, ac nouissimo iactu de libertate, & de corpore contentant: victus voluntariam seruitutem adit; quamuis inuincior, quamuis robustior aligari se, ac venire patitur: ea est in re fraus perniciosa, fidem ipsi vocant. Hactenus ille.

2. Dubitari non potest quin peccet is, qui seipsum sine vlla iusta causa vendit: nam est prodigus suæ libertatis venditor. Peccat itidem is qui cum aliquo suæ vitæ periculo se vendit causa lucrì. Ex quo fit, vt cum vita remigum fuerit, aut mortis periculo, aut peccatis obiecta non liceat alicui se ad remigandum vendere: Si verò id vitæ genus his malis caruerit, non video cur sit lethalis peccati condemnandus is, qui seipsum lucrì causa aleæ ludo exposuerit: nam quamuis libertatem periculo obiciat, lucrum nihilominus (vt plerisque contingit,) sibi potest acquirere: hoc tamen locum habere puto solum quando hoc non est, cum graui detrimento familiæ, vel propinquorum, vel aliorum. Et hæc omnia docet Azor, *tom. 2. lib. 2. cap. 3. 1. quest. 3.*

3. Ego autem consultus in facti contingentiã ab Excellentissimo Duce Alcalensi tunc Siciliae Prorege, respondi hoc esse admittendum à Principibus duabus conditionibus concurrentibus; Primò quod hoc efficiatur propter necessitatem publicam, vt quando armadæ essent treuibus, & mancipia sufficientia, aliique remigantes non adessent. Secundò vt ad talem ludum rã admittantur personæ, quæ, vt dixit Azorius, graue detrimentum suæ familiæ afferrent. Tertio vt euentur peritiã, blasphemia, &c.

RESOL. LXVI.

*An serui possint à Domino castrari ad suauitatem vocis conseruandam, si ipsi consentiant?*  
*Et an liceat alicui non seruo ad vocis suauitatem conseruandam hoc permittere? vel parentibus maximè etiam pauperibus liceat ad lucrum conseruandam castrare filios suos?* Ex p. 7. tr. 7. Res. 64. aliàs 63.

§. 1. **R**espondeo certum esse ipsis inuitis non posse, quia vt supra vsum est domini non habet dominium in membra seruorum: ideo difficultas est, si hoc licitum esset dominis ipsis seruis contententibus: Et negatiue respondeo per ea quæ dixi in *part. 6. tract. 6. ref. 35.* vbi cum multis Doctõribus probaui, non esse licitum seipsum castrare pro conseruanda voce. Quæ sententiam nouissimè docet, nunquam satis laudatus Doctõssimus & Eminentissimus Cardinalis de Lugo de *inst. tom. 1. disp. 10. sect. 1. n. 23.* vbi sic ait: Dubitatur secundò an liceat alicui ad vocis suauitatem conseruandam, qua reditus sibi in vitam totam, & lucrum comparare possit, permittere, quod castratur, vel parentibus etiam maximè pauperibus, liceat ad hunc finem filios proprios castrare: Affirmat Salonijs in *presenti, quest. 65. art. 1. controu. 2.* quando id fiat sine vilo vitæ periculo, & de consensu illius, qui castratur. Alij tamen communiter id negant dum in vniuersum dicunt, solum ad vitam conseruandam licere membri abscissionem, & ideo latè id impugnat Tannerus 2. 2. *disp. 4. dub. 5. num. 101.* quod videtur omnino verum: quia si ob alias causas, vel vtilitates, præterquam ob vitam vel sanitatẽ corporis tuendam, hæc mutilatio liceret, cõsequenter id posset admitti, quando Princeps noller in Palatio intimos famulos habere, nisi Eunuchos, vt olim si bas, & hodie obseruatur in aula Imperatoris Sinatum. Possent enim aliquis ad hunc gradum honoris cõsequendum cum animi alacritate id pati, imò si alius famulos elingues habere vellet, liceret eis linguam sibi abscindere, vt habiles fieret ad obsequiũ Principis. Vnde multo magis videretur licere ob vtilitatem spirituales, quæ plus faciendã est, quàm lucrum temporale, nempe vt facilius tentationes carnis vincerentur, vt securius cum feminis conuersari posset, vel earum spirituales curam suscipere, maximè quando ex hoc lucrum etiam temporale consequeretur ad vitam sustentandam: quæ omnia certè sine absurdo concedi nõ possunt. Et quidem de vtilitate spirituali, & ad se petendas carnis tentationes constat id non licere ex decretis Ecclesiasticis supra citatis, quia ad eum finem non est necessarium tale medium: ex quo à fortiori colligitur, nec ad alias vtilitates inferioris ordinis licere adhibere tale medium nisi ad summum in necessitate extrema, quando ad vitandam mortem ob famem, vel necessitatem imminentem, necessarium esset illud remediũ, vt haberet aliquis victum necessariũ, alioquin fame moriturus, qui casus est moraliter impossibilis. Ita Eminentissimus Cardinalis de Lugo, & ego.

Quæ nunc est in tom. 1. tr. 7. Res. 130 §. vlt. & latè in tom. 8. tr. 5. Res. 85. 59 & 60. & in tom. 6. tr. 1. Res. 118 §. Nota. h c & in ro. 9. tr. 1. Res. 107. §. Denique.

RESOL. LXVII.

*An Dominus teneatur resarcire damnum à seruis illatum?*  
*Et an ista obligatio liget in foro conscientia, vel solum post iudicis condemnationem?* Ex p. 7. tr. 7. Res. 74. aliàs 73.

§. 1. **R**espondeo quod cõpetit actio aduersus Dominum mancipij ob damnum à mancipio culpabiliter illatũ absque domini culpa, vt habetur in *titulo Insti. & Dig. de noxialibus actionibus*, (si enim culpa Domini illatum fuit, tenebitur Dominus aliquid de ex iniusta læsione ad totum damnum) & tunc Dominus debet, vel damnum soluere, vel mancipium pro nexa dare, damnum passo. Dixi ob damnum à mancipio culpabiliter illatum: quia si absque vlla eius culpa fuit, sicut mancipium ad nihil tenetur, ita nec dominus, nisi in quantum ex damno illo factus est locupletior: si autem aduersus mancipium criminaliter agatur ad eum puniendum, non potest dominus

Sup. hoc in tom. 8. tr. 5. ex Res. 89. in *lege doctrinam § per.*

dominus illud liberare solvendo damnum, sed debet actio aduersus seruum intentari.

Sup. hoc in tom. 8. et. 5. Ref. 76. per totam.

2. Sed difficultas est, an ista obligatio, quam dominus ex damno illato à mancipio contraxit, liget in foro conscientiarum, an solum post iudicis condemnationem: Valquez *Opusc. de restitut.* c. 2. §. 2. dub. 1. & Turrianus *de Inst. disputat.* 12. dub. 1. num. 3. Medina *Code de Restitut. questione* 9. Paludanus in 4. *distinct.* 5. *questione* 2. num. 17. Gabriel *quest.* 14. *articulo* 13. dub. 2. & *quest.* 53. dub. 2. cum aliis, affirmatiuam sententiam docent: quia postquam introducta est rerum diuisio, non est ablatum ius naturale, quod quisquam habet ad recuperandum damnum illatum sibi ab alio siue seruo, siue libero, siue bruto: unde, si passus es damnum à bruto, ipsum animal manet obnoxium secundum sui valorem, quod idem de seruo dicendum est, ergo dominus obligatur non ob suam culpam, sed quia res ipsa, quam possidet, est obligata, & obnoxia propter illud damnum.

3. Sed licet hæc sententia sit probabilis, probabilior mihi contraria videtur. Dico igitur dictas leges ante iudicis sententiam non obligare ad vllam restitutionem, quando in domino Theologica culpa non fuit. Et ita docet Dicastillus *de iustitia libro* 2. *tractatu* 2. *disputatione* 3. dub. 1. num. 6. & sequi. Rebellius *libro* 2. *questione* 10. sect. 4. Lessius *libro* 2. *capite* 9. dub. 17. Molina *tom.* 4. *disput.* 713. quibus adde nunquam satis laudatum Dominum meum Doctissimum, atque Eminentissimum Cardinalem de Lugo, *de Inst. tom.* 1. *disputatione* 8. *seccione* 3. *numero* 41. Covarruuiam, in *Epitome* 4. *Decretal. parte* 2. *capite* 6. §. 8. num. 18. Caspensem in *Cursu Theologico, tom.* 2. *tract.* 7. *seccione* 6. num. 92. & Trullench, in *Decal. tom.* 2. *lib.* 7. c. 6. dub. 3. num. 9.

4. Probatür hæc opinio, Primò; quia si mancipium vel animal nocendo sine vlla culpa Domini, obnoxium restitutioni maneret, pari ratione, si tua domus per ruinam, vel aqua tuæ cisternæ per inundationem, vel alia

res inanimis damnum daret, eandem obligationem incurres, quod tamen nemo concedit.

5. Probatür secundò; Quia si tu sine vlla culpa non secus, vts si amens aut dormiens, damnum intuleris, non teneris restituere: ergo à fortiori, neque res tua, si sine vlla culpa noceat, tua enim operatio magis ad te pertinet, quam tui serui, aut animalis.

6. Probatür tertio; quia nec tenetis ratione rei acceptæ, cum nihil acceperis, nec ratione iniuste acceptiois, quæ nulla est, seu (vt docet Molina *tom.* 4. *disput.* 713. *concl.* 1.) nec ex acceptione, neque ex re accepta, neque ex contractu, & conuentione partium, quæ hic nulla est expressa, nec virtualis, ergo ex nullo capite tenetis.

7. Quartò probatur; quia prædictæ leges politæ non sunt præceptiue, sed solum concedunt dimissionem actionem quoad forum externum, atque adde penales videntur, vt dicitur *Instit. si quadrupes, ad fin.* Ne de ante condemnationem non obligant, vt etiam capitulum ff. & *Instit. de noxal. action. ad initium.*

8. Et idem hæc sententiam præter Doctores citatos tenet etiam Villalobos in *Summa tom.* 2. *tract.* 11. *sect.* 4. num. 13. vbi sic ait. *El señor no está obligado en conciencia antes de la condenacion del juez, a restituír el daño, que sin culpa suya hizieron sus criados, y esclauos, o sus animales. Assi lo tienen Molina, y etia razón. Porque por el Derecho natural no están obligados a ello, pues no están obligados por razon de la iniuste acceptio; ni tampoco por rason de la cosa recibida, y assi las leyes que hablan en esto en Derecho; se han de entender, que son penales, pues mandan pagar lo que no se deu de Derecho natural, y si obligaran en el foro de la conciencia, fueran muy rigurosas, y no se colige dellas, que quieran obligar, en el fuero de la conciencia. En la conclusion dezimos, sino inuio culpa, por que si la inuio, obligacion aura de restituír. Ita ille; & verba supradicta sunt valde notanda, quia hic casus legitime præxi potest accidere.*

In indice primo huius Tom. 7. lege Apendicem ad hunc Tract. 8. vbi inuenies alias plures quest. mistas, & dispersas per alias Tom. Tract. & Ref. que simul pertinent ad hunc Tract. 8. de Seruis, seu Mancipiis.